


6
34-B
7

6
5 L
11

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

6-5-L. 11

EXAMEN
HISTORICO-CRITICUM
CODICUM INDICORUM

BIBLIOTHECAE SACRAE CONGREGATIONIS
DE PROPAGANDA FIDE

AUCTORE

P. PAULINO A S. BARTHOLOMAEO

CARMELITA DISCALCEATO MALABARIAE EX-MISSIONARIO
ACADEMIAE VOLSCORUM VELITERNAE SOCIO

*In collegio Missionum Romae ad Sanctum Pancratium
linguarum orientalium Praelectore .*

Bibliotheca Collegii S. Pancratii

ROMAE MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA SACRAE CONGREGATIONIS
DE PROPAGANDA FIDE

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Ex dono auctoris 1806.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franciſcus Xaverius Paſſari Viceſg.

FACULTAS ORDINIS

Fr. ADRIANUS A S. THERESIA

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

CONGREGATIONIS S. ELIAE ORDINIS B. V. M. DE MONTE CARMELO PRAEPOSITUS GENERALIS ET EIUSDEM S. MONTIS PRIOR

UT opuſculum quod inſcribitur: *Examen Hiſtorico-Criticum Codicum Indicorum bibliothecæ S. Congreg. de Propag. Fide Auctore P. Paulino a S. Bartholomaeo Carmelita Diſcalceato Malabariae Ex Miſſionario Academiæ Volſcorum Veliternæ ſocio & in Collegio Miſſionum Romæ ad S. Pancratium linguarum orientalium Prælectore*, quantum ad Nos attinet, typis edi, vulgarique poſſit, facultatem concedimus. In quorum fidem praeſentes dedimus manu noſtra ſubſcriptas. Romae ex Conventu SS. Thereſiae & Iohannis a Cruce 12. Iulii anno 1792.

Fr. Adrianus a S. Thereſia Praepoſitus Generalis.

Digitized by Google

Multa ſane in gentis Indicæ , quos iam uſque a primis temporibus ipſa ſibi adiudicat, libris, quique illi ſunt, aut fuere, recte dignoſcendis, offerunt ſeſe , quæ niſi ad ſeveriores critices facultatis leges exigantur, atque in bono collocentur lumine; quantum & chriſtianæ & litterariæ rei afferre queant incommodorum, neminem fore arbitramur qui non intelligat. Id ergo, & quidem optimo conſilio, R. P. Paulinus a S. Bartholomaeo ſibi aſſumendum exiſtimavit, ut quid de obſcuro hoc argumento eſſet reipſa ſtatuendum, in eo opere ab ſe: *Examen Hiſtorico-Criticum Codicum Indicorum Bibliothecae S.Cong. de Prop. Fide* oſtenderet.

Quoniam vero in Indicis præſertim manu exaratis voluminibus eiuſdem Bibliothecæ cum recenſendis , tum genuinis a ſpuriis diſcernendis , iiſque ſingulari ἀκρίβεια diiudicandis haud parum induſtriæ, atque ſtudii eruditus vir poſuit ; Opus idcirco iubente Reverendiſſimo P. Thoma-Vincentio Pani, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, a nobis diligenter recognitum , dignum quod publicaretur , iudicavimus. Eoque magis in ea confirmati ſumus ſententia , quod in opere evolvendo , nihil quod ſanctiſſimæ Religionis decretis repugnaret , deprehendimus. Immo rem gratam futuram putamus , atque utilem illis in primis , quibus ad Indos Evangelium nuntiatum abire conſtitutum eſt.

Datum Romæ in Ædibus Minervitanis, decimoquarto Calendas Auguſti 1792.

F. Gabriel Fabricy Ord. Prædicat. S. T. D. Collegii Caſanatenſis Theologus.

F. Philippus Angelicus Becchetti Ord. Præd. S. T. M. Collegii Caſanatenſis Theologus.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincentius Pani Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

OPERIS SCOPUS.

§. I.

Multi Indici codices in Europa circumferuntur praeſertim ab eo tempore, a quo Europaei homines in Indiam orientalem penetrarunt, ac Indicas res ſolertius inquirere coeperunt. Indicos libros *Vedam* dictos in India ſe reperiſſe, & poſſidere multi gloriantur, ac ex iis tamquam veri eſſent temerario auſu varia ſyſtemata cudunt, atque idola ſibi figunt, quae non ſolum ipſi adorant, ſed ut eiſdem thus & myrrha etiam ab aliis adoleatur, Indicarum rerum imperitos pertrahere, eiſque imponere ſtudent. Catalogum codicum manuſcriptorum bibliothecae regiae edidit Stephanus Fourmont (1). Ex eadem bibliotheca librum Indicum in idioma Gallicum verſum produxit Anquetil du Perron (2), & anno 1773. incertus auctor librum *l' Ezourvedam* inſcriptum (3). Marida Poula ſocietatis Gallicae interpres ex Indico ſermone in Gallicum convertit librum Indicum inſcriptum *Bhágavadam* (4). Halhed exhibuit codicem legum & inſtitutionum Indicarum (5). Dow, Anquetil, Holwell in vulgus emiſere praecepta legis Indicae *Adarava* dictae (6). Societas littera-

(1) *Catalogus codicum & manuſcriptorum Orientalium bibliothecae regiae ex typographia regia Pariſiis* anno 1739. *pag.* 434. *codices indici*. Maximam horum codicum partem ego anno 1789. in ipſe bibliotheca regia Pariſiis inſpexi, ob temporis tamen anguſtias eos examini ſubiicere non licuit.

(2) *Recherches hiſtoriques & geographiques ſur l'Inde par M. Anquetil du Perron, ſeconde partie*. A Berlin 1787. §. 3. *pag.* 296. 297. *& ſeq.* libri nomen eſt *Oupnekhat*, iſque lingua Perſica exaratus eſt. *C'eſt ouvrage eſt écrit en Perſan, mêlé de Samskretam*, ait Anquetil *pag.* 296.

(3) *L'Ezour-Vedam traduit du Samſcretan par un Brame*. Yverdon 1778.

(4) De verſione libri Bhágavadam per Marida Poula vadem agit D. Court de Gebelin in ſuo opere inſcripto: *Monde primitif &c.* A Paris Chez Boudet *t.* 1. *pag.* 70. Item auctor obſervationum praeliminarium in librum Ezourvedam *tom.* 1. *pag.* 84. 95. 115. 126. 133.

(5) Code des loix des Gentoux, ſeu *Cod of laws of Gentous* par M. Halhed. Vide animadverſiones in hunc librum *t.* 2. libri Ezourvedam pag. 245. *Addition aux obſervations préliminaires*.

(6) Holwel's *Hiſt. Eventſ. Néadirſen* publié par Mr. Dow. obſervat. prélim. *pag.*

teratorum Anglorum in urbe Calcutta in regno Bengala Indica monumenta perſcrutantium plures publici iuris fecit inſcriptiones veteres Indicas (1). Ego ipſe praecipua elucubravi vocabularii *Amaraſinha* capita (2). In bibliotheca S. Congregationis de Propaganda Fide exſtant plures Indici manuſcripti codices, & in muſeo Borgiano Velitris initium regulae ſeu inſtitutionis Talapoinorum, liber *Clandrodayam*, ac nonnulla capita librorum Indicorum a R.P.Marco a Tumba in idioma Italicum converſa. Illos, qui in bibliotheca S. Congregationis aſſervantur, Cardinalis Ampliſſimus L. Antonellus mihi examinandos diſcutiendoſque commiſit, unde etiam occaſionem arripui de reliquis, quos inſpicere licuit, differendi. Quare ut recto ordine mea procedat oratio, *primo*, paucis de antiquitate codicum Indicorum inquiram, *ſecundo*, criticas regulas ſtatuam, ex quibus ſtudio, diligentia & cautela accedente, veri & ſinceri codices dignoſci poſſint, *tertio*, codices Indicos bibliothecae S. Congregationis ad has regulas collatos examinabo.

§. I I.

Nemini dubium eſt Indicam philoſophiam in Bactriana ad fluvium Indum ſita, ad flumen Hydaſpin hodie *Behut*, atque ad Gangem viguiſſe, hoc enim & profani & eccleſiaſtici ſcriptores uno ore fatentur (3). Quomodo autem philoſophiae ſtu-

pag. 42. & alibi paſſim. Contra Holwelli ſomnia opuſculum conſcripſit R.P. Marcus a Tumba inſcriptum: *Oſſervazioni ſopra le Relazioni, che fa M. Holwell &c.* Exſtat in Muſeo Borgiano Velitris depoſitum a R. P. Marco an. 1775. quo iterum in Indias rediit.

(1) *Aſiatick reſearches, or Tranſactions of the ſociety inſtituted in Bengal.* Vol. 1. Calcutta 1788.

(2) *Syſtema Brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile ex monumentis Indicis muſei Borgiani Velitris.* Romae apud Antonium Fulgonium 1791. Item plura fragmenta codicum Indicorum illuſtrata vide in *Grammatica Samſcrdamica* a me edita Romae 1790. ex typographeo S. Congr. de Prop. Fide. Adde his Indicis codicibus *doctrinam temporum Indicam* Waltheri miſſionari Dani ad calcem hiſtoriae regni Bactriani. *Shagundala Katha* poema Indicum a D. Ionſon verſum, alios denique codices, qui ad manus meas non pervenerunt.

(3) *Poſtremum illi* (Nino) *bellum cum Zoroaſtro rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inveniſſe, & mundi principia, ſiderumque motus* (nempe in Bactriana ad fluvium Indum ſita) *diligentiſſime ſpectaſſe*. Iuſti-

ſtudium, linguae Samſcrdamicae copia & puritas, ſectarum & opinionum diverſitas, leges, inſtituta, privilegia exſiſtere & conſervari potuerint abſque eo ut notis & apicibus in chartam aut folia palmarum referrentur, hoc non facile intelligo. Plinius (1) primo in foliis palmarum ſcriptitatum fuiſſe dicit, quem

ſtinus *lib.* 1. Diod. Sic. *lib.* 2. *cap.* 2. ***Bactrianorum rex erat Zaroaſtres, qui comparato hominum quadringentorum millium valido exercitu Nino in finibus occurrit*** . Clemens Alex. ſtrom. lib. 1. Σαμαναῖοι Βακτρων. Cyrill. Alex. *contr.* Julian. *l.* 4. *p.* 90. *edit. Baſ.* Εκ βακτρων τῶν περσικῶν Σαμαναῖοι. Nempe quia Bactriana ſub Dario Perſis ſerviebat, ac in Satrapiam redacta fuit. V. Herodotum *lib.* 4. Diod. Sic. de bello Semiramidis contra Indos, Strabo, Arrianus, Q. Curtius, Alexand. Magnum ad ***Indum*** & ***Hypaſin*** uſque perveniſſe dicunt, atque cum gymnoſophiſtis Indicis collocutum. ***Oneſicritum ad eos gymnoſophiſtas miſit*** (Alexander), ***qui celebri fama in ocio vivebant &c*** Plutarchus ***in Alexandro, edit. Francofurti*** 1580 ***pag.*** 210. ***& ſeq.*** Abulfeda gymnoſophiſtas Brahmaneſque in ***Canouge***, id eſt in ***Canudi*** urbe ad Gangem ſita collocat. ***V. Anciennes rélations des Indes & de la Chine*** par M. Renaudot, à Paris 1718. ***pag.*** 169. Denique omnium apertiſſime Euſeb. praep. Evang. lib. 6. pag. 275. edit. Colon. ***Apud Indos & Bactros multa ſunt eorum millia, quos Brahmanas vocant. Ii tam maiorum, quam legum traditione, ab omni caede cultuque ſimulacrorum abſtinent*** (nempe ſola aſtra colentes) ***animantium nihil guſtant, ſicci numquam & ſobrii non ſunt, quod vino ſiceraeque parcant, dumque Deo vacant, nullius umquam ſceleris communione polluuntur*** . Strabo l. 15. ***Ariſtobulus vidiſſe ſe dicit Sophiſtas duos ex Taxilis*** (antiqua Dely), ***utroſque Bragmanas, alterum ſeniorem tonſum, alterum iuniorem comatum, quos diſcipuli ſequebantur &c.*** Et infra: ***Oneſicritus miſſum ſe ſcribit, ut cum ſophiſtis colloqueretur, quod Alexander audiviſſet, nudos eos incedere & tolerantiam exercentes, in honore maximo haberi &c.*** Diodor. Sic. lib. 17. pag. 568. edit. Baſ. ***Exercitum duxit*** (Alexander) ***ad urbes quae Sophitae*** (regi) ***parebant, ac bonis legibus mirabiliter erant inſtitutae. In eis alia multa publice cum ſumma laude ſervabantur*** . Ubi bonae leges, tanta philoſophorum frequentia, ſub uno Bactriano rege tantus exercitus, gens illa politiſſima fuerit oportet. Si polita fuit, litterarum monumentis carere non potuit. ***Rudes illi Italiae homines, quos Caſcos Ennius appellat, qui ſibi (ut in Rhetoricis Cicero ait) ritu ferino victum quaerebant, ante chartae & membranarum uſum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epiſtolarum alloquia miſſitabant*** . S. Hieronymus ***ep.*** 1. ***pag.*** 27. ***edit. Baſſani*** 1776. In India multo ante & philoſophiae ſtudium viguit, & palmarum ingens copia, in quarum foliis Indi ſtilo ſcriptitant, ſemper exſtitit. Ex his igitur foliis codices compingebantur ut hodie compinguntur, & in his eiſdem foliis epiſtolarum alloquia Indi mutuo miſſitabant, quemadmodum hodiedum miſſitant. Confer Plutarchum de ***ſeptem ſapientum convivio*** .

(1) Plinius hiſt. nat. lib. 13. cap. 11. ***In palmarum foliis primo ſcriptitatum, deinde quarundam arborum libris . . . . . Pugillarium uſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora, invenimus apud Homerum*** . Uſus hic cumprimis & ante omnia obtinere debuit apud Indos, qui Alexandri M. tempore philoſophia & liberalibus diſciplinis erant politiſſimi. ***L'aſtronomie eſt une des ſciences qui ont eté cultivées de temps immémorial par les Brahmanes de l'Inde*** . D' ***Anville Géographie ancienne***, tom. 2. pag. 340.

Digitized by Google

quem morem hodiedum conſervant Indi . Job. 19. 23. librorum ſtylo ferreo ſcriptorum a remotiſſima antiquitate in uſu exſtantium meminit . *Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei ? Quis mihi det ut exarentur in libro ſtylo ferreo vel plumbi lamina &c.* Strabo (1) Indos in ſindonibus beneſullatis epiſtolas ſcripſiſſe ex Nearcho, Megaſthene, aliiſque veteribus auctoribus narrat. Idem Strabo (2) epiſtolam illam, quam legati Indici ad Auguſtum Romam attulerant, graecis litteris ſcriptam fuiſſe docet . Calcuttenſes Angli monumentum regis Indici *Gopála* Samſcrdamica inſcriptione inſigne (3) proferunt, quae pulſo omni dubio ad annum 23. ante aeream vulgarem refertur . Samſcrdamicae linguae tanta eſt ubertas, tam certa & exquiſita vocabulorum diſtinctio & ſubtilitas , tamque eximia regularum varietas in grammatica Brahmanica Sidharúbam dicta (4)., ut prorſus impoſſibile ſit, regulas illas omnes & vocabula mente retinere, atque omnino neceſſarium fuerit omni tempore eas ſcriptis conſignatas aſſervare. Quae quidem lingua ſacra antiquiſſima (5) , una cum neceſſitate regulas illas ſcriptis conſignandi demonſtrat, codicibus ſcriptis non autem ſola traditione

(1) Strabo geogr. lib. 15. *Nearchus ait : Brachmanes regum conſiliarios eſſe, ceteros quae ad naturam pertinent contemplari ... legum alias eſſe non ſcriptas alias communes , alias proprias . . . Indos valde ſtudioſos eſſe circa artes. epiſtolas in ſindonibus ſcribere beneſullatis.* ErgoNearchi Indiam perluſtrantis aetate, id eſt anno 330. ante Chriſtum natum Indi iam charta ex ſindonibus confecta, coctae oryzae aqua compacta , & perpolita utebantur, ac proinde codicibus ex hac rudi charta confectis , & in palmarum foliis exaratis gaudebant, prout hodiedum gaudent . *On a trouvé chez les Indiens des ſciences , & de la police dès les premiers temps que le pays a été connu* . D' Anville *Géographie ancienne* tom. 2. pag. 329. 330.

(2) Strabo lib. 15. *Addit* (Nicolaus Damaſcenus) *epiſtolam Graecam fuiſſe in membrana ſcriptam , qua ſignificaretur , Porum eſſe qui ſcriberet* . Patefacta armis Alexandri M. India & commercio inter Graecos & Indos per mare rubrum & ſinum Perſicum ſtabilito, reges Indici ad Graecos ſermone Graeco ſcribebant,ut hodie ad Europaeos Anglico aut Luſitano idiomate ſcribere ſolent. Epiſtola regis Travancoridis, quam ego ad SS. D. N. PIUM PP. VI. attuli, lingua Luſitana exarata erat . Ex his tamen non inferas , in India olim uſum linguae Graecae univerſalem fuiſſe, aut Indos propria eaque ſacra litterali Samſcrdamica lingua caruiſſe , prout neque hodie ea deſtituuntur, quamvis ad exteros externa lingua ſcribant .

(3) Aſiatick reſearches tom. 1. p.123. & ſeq. *A Royal grant of land , engravet on Copper plate , bearing date Twenty-three years before Chriſt.*

(4) Grammatica Samſcrdamica *p.* 21. 22. 23 24.

(5) Grammatica Samſcrd. *l.c.* & *p.*28. 29. 30.

tione ad conſervandas ſcientias; deorum fabulas, philoſophiae ſyſtemata & pugnas opus fuiſſe (1).

Adde, quod vetuſtiſſimi poetarum Orphei hymni cum vocabulario Brahmanico *Amaraſinha* ad amuſſim conveniant, ac proinde, ſi non alius, hic certe Brahmanicus claſſicus codex ad remotiſſimam antiquitatem ſit referendus. Hoc ut perſpicue oſtendam, primo deſcribam ea, quae Orpheus canit de luna, deinde ſubiiciam illa, quae vocabularium Brahmanicum itidem verſibus ſcriptum tradit de eadem luna ſeu de Párvadi dea.

Lunae ſuffimen aromata (2).
O regina potens, Lucina, ſuperrima virgo
Luna patali, Venus, noctuvigila, aerivolga
Pernox, taedigerens, ſtellis comitia, luna
Iana novella, ſeneſcens, femina, maſculus idem
Luna autumna, micans, ſaeclorum mater equeſtris
Succina, Vejovis, illuſtris, dilucula, pernox
Omnituens, leviſomna, eluens ſtipantibus ſignis
Laetitiae locupletis amans, paciſque vacunae,
Percoqui frux; Trivia, Lucetia, noctis ocelle
Aſtrica, praetextata, obſtita, Minerva virago.

Amaraſinha ſect. ſeu repartione Sorggavargga.

ഉമാ കാൎത്ത്യായനീ ഗൌരീ കാളീ ഹൈമവതീശ്വരീ
ശിവാ ഭവാനീ രുദ്രാണീ ശൎവ്വാണീ സൎവ്വമംഗലാ
അപൎണ്ണാ പാൎവ്വതീ ദുൎഗ്ഗാ മൃഡാനീ ചണ്ഡികാംബികാ.

Umá Kártyàyní Gauri Kálí Hèmávadí-Ishvari
Shivá Bhavání Rudránni Sharvanni Sarvamangalá
Abarñá Párvadí Durggá Mrdhání Ciandiga-Ambigá.

 Domi-

(1) De aetate qua litterae, arteſque inter Aegyptios, ac probabilius etiam inter Indos progredi ac vigere inceperunt, confer Chriſtiani Danielis Bechii *Commentationem de ſenſu critico maxime excitando*. *Lypſiae* 1791. *p.* xxxi., ubi litteris, artibus, monumentis, ſimulacris rudioribus aetatem a Seſoſtride uſque ad finem Dodecarchiae aſſignat.

(2) Orphei Argonautica, hymni, & de lapidibus curante Chriſtiano Eſchenbachio Noribergenſi. Accedunt Henrici Stephani & Ioſephi Scaligeri in hymnos notae. Traiecti ad Rhenum. Clemens Alex. Strom. l. 1. §. 139. pag. 381. Edit. Ven. *Tempore Lyncei ... Perſei & Bacchi res geſtae & Orpheus & Muſaeus*.

Domina, *factrix*, *operatrix*, *creatrix*, *Gangetica*, *fuſca*; *nigra*, *obſcura*, *humida*, *frigida*, *domina bona*, *genitrix*, *auctrix*, *productrix*, *ſtere faciens*, *pernox*, *noctuvigila*, *nocturna*, *univerſalis felicitas*, *Venus aquam ciens vel aquam tollens*, *montana*, *montium habitatrix*, *potens*, *miſerias ciens*, *maligna*, *Vejovis*, *obſtita*, *pertinax*, *reſiſtens*, *vilis ſeu obſtetrix*, *vile officium exercens*, *Lucina purgans*, *aquatica*, *autumna*, *marina*, *lucida*, *illuſtris*. Haec igitur ſunt cognomina, epitheta, ſeu indigitamenta deae Indicae Parvadi, quam lunam, naturam, & Venerem eſſe, nos in ſyſtemate Brahmanico perſpicuis argumentis docuimus. Vide *p.* 98. *& ſeq. item pag.* 110. 111. 112. 13. 7. 33. Indigitamenta lunae ſupra ab Orpheo ſeu ab Onomacrito relata in ſacris functionibus, in luſtrationibus, ac ſacrificiis ſeu ab antiquis Aegyptiis, ſeu a Graecis recitari ſolita fuiſſe recte tradidit Scaliger in *notis* ad Orphei hymnos *pag.* 322. *& ſeq. edit. Traject.* Haec eadem cognomina quae nos attulimus de Párvadi dea, Brahmanes recitant in ſacrificio lunae, in menſilibus luſtrationibus quovis novilunio & plenilunio fieri ſolitis, atque haec eadem indigitamenta, cognomina, ſeu preces invocatoriae ſub his ipſis terminis exaratae reperiuntur in libro Indico *Bálagapuránam* dicto, ubi deſcribuntur luſtrationes dei Krshna in fluvio *Yamuna*, in quo dum paſtoritiae mulieres gobaſtri dictae cum Krshna ſeu Apolline ſe ſe luſtrabant, ita deam Párvadi invocabant: *Om! Ambiga, áadi Bhaváni, Iſháni, Káli, Kartyayní, Gaurí, Adishakti*. *Krshna andò un giorno al fiume Giamuna* (Yamuna) *a fare la lavanda, ivi fece il ſagrificio a Gauri* (quae eadem ac Bhaváni ſeu Parvadi) *ed oſſervò aſſieme colle donne il digiuno*. *Le donne quotidianamente offerivano a Bhavanì riſo e gramigna e colle mani gionte la pregarono in queſto modo*: Om Ambiga, Aadi Bhaváni, Isháni, Káli, Kartyayní, Gaurí, Adishakti. *Vide Cod. mſſ. R. P. Marci a Tumba* in muſeo Borgiano Velitris *in fol.* exaratum, *pag.* ſignáta *littera A. Verſio libri Indici Laleccpuram* (Bálagapuránam). Item ſyſtema Brahmanicum *pag.* 310. *& ſeq.* Haec igitur invocatio ſonat: Om! *fiat*, *illuſtris*, *micans*, *autumna* ſeu humida luna dea, *prima genitrix*, *Venus generans*, producens, ſeu *exſiſtere faciens*, quod *Bhaváni* Sonat) *domi-*

domina, *fuſca*, *obſcura*, vel etiam *temporum mutationem ferens* (Kàli), *factrix*, *operatrix*, *actrix* Kartyayni, *Gauri*, alba vel ex Gange, ex humido naſcens, aut humiditatem producens, *potentiſſima vis*, *fortiſſima virtus*, omnipotens regina, adishakti, *adi* multum, valde magna, *Shakti* vis, virtus, potentia. Haec precatiuncula ex cognominibus lunae ſeu Párvadi deae in vocabulario Brahmanico Amaraſinha deſcriptis conſtat, uti iam vides. Haec eadem cognomina cum indigitamentis Orphei in lunam relatis re & vocabulis convenire perſpicis. Luna nempe ſub ſymbolo & involucro, ſub his proprietatibus & attributis Samſcrdamicis Párvadi ſeu Bhaváni deae adſcriptis ab Indis colitur. (1) Audi Plutarchum lib. de Iſide. *In novilunio menſis Phamenot*

(1) In haec indigitamenta, in has Indicas preces, in libros Indicos, in linguam & monumenta Indica nuperrimus noſter cenſor oculos & animum intendat, atque gentem Indicam, numina ipſius & cultum ex his, non autem ex palato ſuo, ex Arnobio, ex Tillemontio, & Valentinianorum ſomniis diiudicet. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quae eſt in* Caelo *deſuper & quae in terra deorſum, nec eorum quae ſunt in aquis ſub terra*. Exodi cap. 20. v. 3. 4. 5. *Non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque ex operibus attendentes agnaverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt*. Sap. c. 13. v. 1. 2. *Plato diſerte fatetur in Cratylo, praeter iſtas quae ſub aſpectum cadunt, mundi partes nihil eos omnino, qui Graeciam principes tenuerunt, cognoviſſe, ac ſola Caeli aſtra, & caetera quae phaenomena vocantur deos putaviſſe, ſic enim ad verbum loquitur: qui Graeciam primi habuere, ii videntur mihi deos tantum illos exiſtimaſſe, quos etiamnum Barbarorum plerique arbitrantur, ſolem, lunam, terram, aſtra, Caelum*. Euſeb. *praep. Evang. lib.* 3. §. 2. *pag.* 87. Confer Porphyrium *epiſtol. ad Anebonem*. & de Indis aſtra colentibus Clem Alex, *Protr. pag.* 26. Vit. Apoll. *lib.* 3. *cap.* 4. ex Philoſtrato. Quare Doctiſſimus Bergier, *Origine des dieux du Paganiſme* tom. 1. pag. 33. quatuor idolatriae aetates diſtinguit. *L' Auteur ſacré diſtingue quatre degrés dans l' Idolatrie*. Primo, *Le culte des differentes parties de la nature*. Secundo, *l'uſage des ſtatues ou des Symboles pour les repreſenter*. Tertio, *l'honneur rendu aux hommes, & a leurs images*. Quarto, *les ſacrifices & les crimes*. His poſitis, quonam iure, quibus Indicis monumentis, quibus argumentis cenſor Indis naturae & aſtrorum cultum abnegat? Quomodo evincit omnes gentium deos homines fuiſſe? Quanam ratione aſtrorum & partium naturae in ſymbola & ſtatuas transformationem negare poteſt? Quonam argumento ſuadet Indicae gentis religionem & naturalem philoſophiam *nudius tertius* incepiſſe?

Quo ſemel eſt imbuta recens conſervat odorem teſta diu.

Quoniam Indi tercenta triginta duo decies centena millia deorum admittunt, cenſor noſter in ſyſtemate ſuo totidem reges heroeſque Indicos veros protrudat. Vide Alphab. Grandonico-Malabaricum *pag.* XXI. & cod. manuſcript. R. P. Marci in fol. in Muſeo Borgiano *pag.* 131.

menot (indi menſe martio) *feſtum celebrant* (Aegyptii) , *quod ingreſſum Oſiridis in lunam appellant . Eſt autem id veris initium. Hoc pacto vim Oſiridis in luna collocantes Iſidem ei uxorem, ex qua prolem procreet , adſcribunt* (ut Indi Párvadi deam uxorem Shivae ſeu ſoli). *Ideo & lunam mundi matrem appellant , & naturam ex utroque ſexu mixtam adſignant ei , quod impleta & gravida facta a ſole rurſum a ſe in aerem emittat ac diſſeminet genitabilia principia .* Et infra ; *Iſidem* (Indis *Ishaní* eadem quae Párvadi.) *eamdem cum luna eſſe pronuntiantes , etiam eadem utranque imagine repraeſentant . In qua cornuta lunae indicant illuminationes falcatas , nigrae autem veſtes occultationes eius , & obumbrationes deſignant , quibus ſolem deſiderans ſectatur . Itaque ad res amatorias lunam invocant , & iis rebus praeeſſe Iſidem Eudoxus affirmat .* Et iterum infra : *Eſt Iſis naturae ea pars , quae quaſi feminea , omnes in ſe recipit ortus tamquam nutrix quaedam & omnium commune receptaculum a Platone dicta , a pleriſque aliis Myrionymos , id eſt innumeris praedita nominibus ; quod ratio eam in omnes formas ſpecieſque vertat .* Denique inſcriptio Sai in fano Minervae , quam Iſidem eſſe ait Plutarchus , ferebat : *Ego* (Iſis) *ſum omne quod exſtitit , eſt , & erit : meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit .* (1) Eſt ergo Iſis, Ishàni , Bhavani ſeu Párvadi *luna* & *natura* ſub duplici aſpectu conſiderata , eadem maſculus & femina , dea univerſalis , mater ac ſimul uxor dei Brahma , Vishnu & Shiva . Prout *luna* eſt , Shiva ſeu ſol eidem maritus a Brahmanibus affictus fuit , & hic cum Aegyptio Oſiri aut Baccho unus et idem eſt ; prout vero *natura* eſt, & rerum omnium auctrix , *Isbvara* ſeu ſupremum dominum apud Indos ſibi deſponſum habet , unde eadem apud Indos ഈശാനി Ishání , ഉമാ Umá , ഈശ്വരി Ishuari, & മഹേശ്വരി Mahéshvarí , id eſt *domina* , & *magna domina* appella.

(1) Auctor *ſupplementi ad novum theſaurum inſcriptionum Lud. Muratorii tom 1. p. 15.* hanc inſcriptionem fictitiam & a chriſtianis ſuppoſitam fuiſſe putat . Quaſi vero Plutarchi Aegyptum perluſtrantis tempore chriſtiani iam fraudulentas inſcriptiones publicis monumentis ſupponerent , & fidem publicam fallere ſtuderent ! An non rectius haec auctoris de inſcriptione dubitatio ex imperitia mythologiae Aegyptiacae deſcendit ?

pellatur. Confer Orphei hymnum *in naturam* pag. 107. edit. Trai. ubi naturam *omnipotentem*, *doctiſſimam*, *daedalam matrem*, *fabrum*, *reginam*, *victricem*, *magiſtram*, *Induperantem*, *primigenam*, *aeternam*, *viraginem*, *noctuam ſignitenentem*, *Lucinam & omnipotentem vim* invocat canitque

Omnia tu ſola es, namque omnia tu paris ipſa.

Eadem canit T. Lucretius Carus de *rerum natura* lib. I. ubi Venerem deam a natura omnium rerum auctrice non diſtinguit.

Aeneadum genitrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus, caeli ſubter labentia ſigna,
Quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis
Concelebras per Te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitque exortum lumina ſolis.
Te Dea .... Et infra.
Unde omneis natura creet res, auctet, alatque:
Quove eadem rurſum natura perempta reſolvat
Quae nos materiem & genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare & ſemina rerum
Appellare ſuemus & haec eadem uſurpare
Corpora prima, quod ex illis ſunt omnia primis.

Ex his inferre caveas, Brahmanes materialiſmum docere. Nam *primo* numen Brahmanicum ഈശ്വരന് Ishvara *dominus ſupremus*, ens materiae expers eſt, സൎവ്വവശ് Sarvavasha *omnipotens*, & അനന്ത് ananda, id eſt *infinitum*. അന്ത് anda *finis*, അനന്ത് ananda cum prima ſyllaba *an* vel *a* privativa, *ſine fine* ſeu *infinitus*. Hoc numen aeternum, materiae expers അശരീരി ashariri, omnipotens, infinitum, in primo creationis mundi actu vocavit naturam ſeu deam Bhavani per voculam ഹും *hum*, quae apud Indos omni tempore ſacerrima fuit. *Hum*, visne, ut ignis, aqua, terra producatur? viſne, ut Brahma, Vishnu, Shiva adoretur? Bhavani dea ſeu *natura* reſpondet:

ഓം *Om*, vel ആം *ám*, omnino, volo, fiat, volo, creetur terra, ignis, aqua, omnino, volo, fiat, adoretur Brahma terra, Vishnu aqua, Shiva ignis. Antiquiſſimae huius fabulae Indicae & Aegyptiacae meminit Plutarchus libro de *Iſide* : *Porro cum plerique exiſtiment peculiare apud Aegyptios nomen Iovis eſſe Amun* (multi Indi linguae ſacrae imperiti *Om* eſſe putant nomen Triadis Indicae Brahma, Vishnu, & Shivae dei), *quod nos producto vocabulo* Ammonem *dicimus* : *Manethos Sebennita ea voce occultatum*, *& occultationem iudicat ſignificari* : *Hecataeus autem Abderita hoc verbo invicem uti Aegyptios ait cum alter alterum vocat*. *Eſſe enim vocem* invocativam, *& cum principem deum eundem cum univerſo putent*, *utpote obſcurum & abſconditum*, *vocari ab iis & orari* Amun *dicentibus*, *ut prodat ſe*, *ac conſpiciendum praebeat*. De vocula *Hum* & *Om* nos multis differuimus in grammatica Samſcrdamica, ubi eam apud Indos & Tibetanos a remotiſſimis temporibus obtinere, & in ſacris eorum precibus in uſu eſſe perſpicue oſtendimus, *pag.* 49. 50. 51. 52. 53. *& ſeq.* Heic itaque animadvertiſſe ſufficiat, eaſdem voculas in ſenſu a nobis allato apud Aegyptios quoque reperiri, ibi ut apud Tibetanos corruptas fuiſſe, ac denique ambas ſua vetuſtate apud Aegyptios in unum vocabulum coaluiſſe, indeque *Amun* legi, cum *Am* & *hum* diſtincte legi debeant. Aam *omnino*, Hum *nonne*, vocando aut interrogando. Ubi iterum vides reſponſioni ſeu conſenſui invocationem aut interrogationem poſtponi, atque ex corruptione vocularum & imperitia primigeniae ſignificationis apud vetuſtas illas gentes variam haec vocabula vicem ſubiviſſe. Id praeterea heic probe obſervandam eſt, in hac Indica ſincera vocularum ac fabularum explanatione, in precibus quae ex iis voculis conſtant, aliiſque Indicis monumentis Deum ens per ſe exiſtens a natura & materia diſtingui, illum ut artificem ac ſupremum Creatorem repraeſentari, primum motorem ac dominum eſſe, qui naturae praeexſtiterit, naturam ſeu Bhavani deam ex ſuo latere progenuerit, ac denique Deum ſive cum natura dea ſua coniuge ſimul conferendo res humanas omnes creare, Deam vocanti numini reſpondere

Digitized by Google

dere ac iubenti obtemperare, velut uxorem ipſi ſubeſſe, ſua denique propria virtute naturae ſeu Shakti deae imperare, quod ſane quamquam fabuloſum ſit, creationis mundi ideam apud gentes illas exiſtere demonſtrat, atque a materialiſmi nota, quam imperiti eis affingunt, omnino exemptas eſſe probat. Deo huic Creatori & Conſervatori ſupremo Indi *ſolem*, naturae vero eius uxori *lunam* ſymbolum poſuerunt, quia ut recte ait Plato, nihil Deo ſimilius *ſole*, nihil naturae ſimilius *luna* in hoc mundo invenerunt, nec aliud adeſſe putabant, quod Deo & naturae melius aequiparari poſſet. Vide grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 50. *in nota*, ſyſtema Brahmanicum *pag.* 35. *in notis* Platonis ſententiam ex Macrobio; denique de Lucretii poemate librum inſcriptum: *Collectio Piſaurenſis omnium poematum tom.* 1. Piſauri 1766. *pag.* XXV. librum *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 242. *The miſtical Word* Om, *a Word*, *Which never eſcapes the lips of a pious Hindu*, *Who meditates on it in ſilence*. Harum vocularum interpretationem abſurdam & falſam et hi Angli ibidem, & editor libri Ezourvedam *tom.* 1. *pag.* 287. affert, quam vide.

Nullum ergo dubium eſt *lunam* & *naturam* ſub involucris, ſub figuris & ſymbolicis attributis ac formis ab Aegyptiis, Graeciſque adoratam fuiſſe, ut hodiedum adoratur ab Indis. Vide *ſyſtema Brahmanicum pag.* 98. 99. 103. 106. 129. 186. 199. 33. *& alibi paſſim*. Ex ibi dictis palam & aperte perſpicies, *primo* lunae ſeu deae Párvadi ſacrificium, ſuffimen, ſeu libamen eſſe *aromata*, id eſt herbas aromaticas contuſas, id quod Orpheus meminit, & quod Brahmanes hodiedum lunae offerunt. *Secundo* luna Indis Lucina ſeu obſtetrix eſt, quod vide in codicibus manuſcriptis R. P. Marci a Tumba & R. P. Conſtantini ab Aſculo alias ſaepe citatis. *Le oſtetrici fanno di queſta dea* (Mahéshvari magna domina) *gran conto ſperando con occulto ſoccorſo di eſſa far divenir facili li parti*. R. P. Conſtantinus ab Aſculo Miſſ. Nepalenſis in cod. mſſ. *notizie laconiche* inſcripto *ad fig.* 24. *Tertio* luna & natura etiam Venus eſt, quia ad generandum potens, efficax & prompta. Eadem eſt vis, virtus & energia ad gignendum. Vide l. c. Eadem *Iani* Indici mater, unde Orpheo

Iana

Iana dicta. V. ſyſtema Brahmanicum *de deo Ganesha pag.* 173. Eadem amatoriis rebus praeſes apud Indos. V. *pag.* 187. Eius peplum impenetrabile, ſeu naturae generantis arcanum incomprehenſibile Indis. V. *pag.* 103. Eadem maſculus & femina apud Indos V. *pag.* 107. Venus, *pag.* 103. Roris & humoris domina, *ibidem*. Potentia, natura, vis & virtus, quacum in primo creationis omnium rerum momento *Ishvara* ſeu ſupremus dominus colloqui fingitur, & per eam operari, *pag.* 104. Eadem Vejovis maligna, morbos inducens, caſtigatrix, deſtructrix, *pag.* 99. 100. 101. 102. 111. in ſupplemento *pag.* 317. 318., & emoriens *pag. eadem*. Confer Winckelmann ſub voce *Diana*, ubi in Graecis & Romanis monumentis huic deae eadem attributa, inſignia & ſymbola affiсta fuiſſe liquido comperies. Vide etiam Porphyrium *epiſt. ad Anebonem*, Euſeb. *praep. Evang. lib.* 3. §. 2. Diod. Sic. *lib.* 1. *pag.* 8. 9. *edit. Baſ.* Hoc plane modo cognomina ſolis & Mercurii ſeu Budhae Indici cum cognominibus ſeu indigitamentis ab Orpheo ſoli & Mercurio affictis ad amuſſim convenire, atque fabulas pleraſque ſive Aegyptias ſive Indicas, ſive Graecas per librum Amaraſinha aperiri, illuſtrari, enodari, & in aprico collocari, partim in *ſyſtemate Brahmanico*, partim in *Indiae Orientalis Geographia ſacra* perſpicuis argumentis evicimus. Ceterum legenda erit cumprimis *diſquiſitio in authenticitatem & antiquitatem libri Amaraſinha*, ubi pluribus indiciis, conjecturis & argumentis oſtendemus, hunc librum ad annum circiter 500. ante Chriſtum natum referendum eſſe. Ibi etiam plura afferemus, quae docti viri tradiderunt de codicum Indicorum ex India in Tibetum & in Sinas exportatione ſaeculo aerae vulgaris primo iam facta. Dantur ergo apud Indos codices antiqui & ſinceri mithologici, aſtronomici, aſtrologici, philologici, morales. Hi codices, quia cum Plutarchi, Onomacriti, Lucretii, cum Graeca & Aegyptiaca doctrina, quam Plutarchus, Diodorus, Onomacritus, Lucretius in India non hauſit, conveniunt, antiquiſſimi ſint oportet; nam hi ſcriptores diſtinctis ſaeculis & a ſe invicem non exiguo temporis intervallo diſſiti ſcripſerunt, atque pervetuſtas gentium traditiones & fabulas retulerunt, quas cum liber *Amaraſinha* ape-

aperiat, explicet, & illuſtret, vetuſtiſſimus ipſe ſit eſt neceſſe. Neque vim argumenti effugies, ſi dicas, haec omnia ex Aegypto in Indiam tranſmigraſſe. *Primo* enim, hoc lucidis argumentis probandum foret. Oſtendendum inquam foret, Indica vetuſtiſſima & magnifica delubra Illoura, Elephantae, Salſette Mahavalipuram, ac ſpecus Indicas ſubterraneas Aegyptiacis pyramidibus recentiores eſſe, libros Samſcrdamicos ex Aegypto in Indiam delatos fuiſſe, Brahmanes circumciſos eſſe, antiquitus philoſophiae non ſtuduiſſe, ſcholas non habuiſſe, in ſectas & varia inſtituta diviſos non fuiſſe &c., id quod nemo ſanus demonſtrare poterit (1). *Secundo*, religio Aegyptiaca obſcura eſt, & non ſolum fabulis & innumeris involucris tota quanta obvoluta, ſed etiam ſcriptorum variis & in contrarias opiniones excurrentibus commentis refertiſſima, aſt Brahmanica multo ſimplicior, naturalis, aſtronomica, libris gaudens, magiſtris & traditionibus vivis etiamnum inſignis, ſymbolis, ſcripturis, litteris inclita, & quod rei caput eſt, a nemine ex tota India exterminata fuit, cum totam Indiam nemo umquam ſubiugaverit. Philoſtratus in vita Apollonii apud Photium codice 241. *Inde quatuor dierum iter progreſſi per felicem & bene cultam regionem ad oppidum in quo ſapientes habitant, qui vulgo Brachmanae vocantur, pervenerunt, & cum iis ſatis diu verſati ſunt: de quibus ſe dicunt vidiſſe & audiſſe quae nemo ſanus crederet, impium dogma de tranſmigratione animarum per Aegyptios ad Pythagoram hinc credunt emanaſſe*. *Apollonius*, ait S. Hieronymus epiſt. ad Paulinum, *ſive ille magus ut vulgus loquitur, ſive philoſophus ut Pythagorici tradunt, intravit Perſas, pertranſivit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiae regna penetravit, & ad extremum latiſſimo Phyſon* (Gange) *amne tranſmiſſo, pervenit ad Brachmanas ut Hiarcham ... inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem*. Si igitur Pythagoras, Apollonius, Democritus, aliique philoſophi ad Indos acceſſerunt, & viciſſim Anacharſis Indoſcytha in Aegyptum & Grae-

(1) Man findet in Indien, wo Künſte und Wiſſenſchaften Vieleicht eben ſo frühe geblüht haben als in Aegypten, auch noch jetzt Werke des Alterthums, wor uber man erſtauen muſſ. Niebuhr, *tom. 2. pag. 31. edit. 1778.*

Digitized by Google

Graeciam penetravit ac cum Graecis philoſophis & Aegyptiis Hierophantis collocutus eſt, ut id teſtatur Plutarchus in *convivio ſeptem ſapientum*, qui & ipſe Aegyptum perluſtravit; ſi Scythianus vel Samtaputra Indicos codices iam primo aerae vulgaris ſaeculo a Brahmane *Lekshen* acceptos in Tibetum detulit; ſi Tibetani Lahae ad linguam ſacram Samſcrdamicam ediſcendam, atque ad legis praecepta Indica in Tibetum transvehenda ex Tibeto in Indoſtan veniebant, ut id tradit doctiſſimus auctor Alphabeti Tibet. *pag.* 298. 299. 305.; Si denique iidem libri Indici & Samſcrdamici in Sinas fuere perlati ipſo primo aerae vulgaris ſaeculo aut etiam ante chriſtianam aeram, ut id teſtatur P. Mailla (1), cur negandum eſſe cenſeas, doctrinam & aliquos codices Indicos, antiquiſſimos eſſe, atque hanc eamdem doctrinam & codices in alias gentes delatos fuiſſe? Adde his, plures codices Indicos iam antiquitus ex India in Perſidem exportatos, ac in Perſide ipſa aut in India a Perſis in idioma Perſicum translatos fuiſſe (2), quomodo autem expor-

(1) P.Mailla *Recherches ſur les caract. Chinois*, a la fin du *Chou-king. p.* 396. Confer *obſervat. prelim. ſur l'Ezour vedam* tom. 1. pag. 108. 109. *lettr.* du P. Gaubil dans une note du *diſc prel. du Zend-A-Veſta p.* 335. Vide etiam de libris Indicis ſaeculo tertio in regnum Pegu translatis praefationem auctoris Alphabeti Barmanorum. Romae 1787. pag. 14. *libros Pali ex inſula Candi, ſeu Ceilano ad Peguanas oras invexit Brachman quidam nomine Boudogòſa* (id eſt *Budhagòſâmi* Samanaeus quidam) &c. Confer etiam cod. mſſ. R. P. *Caietani Mantegazza* Barnabitae Miſſionarii Peguani, *Dialoghi tra un Khien Selvaggio ed un Siamese Ex Talapoino*, anno 1785. in praefatione. Codex extat in Muſeo Borgiano Velitris ſignatus *littera* (*D*).

(2) Vide *Georgi Pachymeris Michaelem Palaeologum* ex bibliotheca Barberina interprete Petro Poſſino Romae 1666. pag. 548. *octo ſalutaria monita, & ſpecimen ſapientiae Indorum*, qui codex ex idiomate originali Indico in Perſicum, ex hoc in Graecum, atque ex hoc iterum in latinum verſus fuit. Obſervat. prelimin. in librum *l'Ezourvedam* vol. 1. p. 11. *A la verité, on prétend que* Feizi, *frere* d'Abeulfazel, *Secretaire de l'empereur Akbar, avoit fait une traduction perſane des quatre védes*. D'Herbelot, *Bibliotheque Orientale pag.* 114. 206. 456. 464., plures Indicos codices ex Indico ſermone in Perſicum & Arabicum etiam regia auctoritate olim converſos fuiſſe luculenter oſtendit. Anquetil du Perron in libro inſcripto, *Recherches hiſtoriques & géographiques*, tom. 1. p. 32. & ſeq. ſeriem Indicorum regum affert, quam a Perſa *Tedzkerat Aſſalattin* ex libris *Samſcrdamicis* deſumptam fuiſſe ultro fatetur. vide pag. 27. tom. 1. *lettre ſur les antiquités de l'Inde*. Idem Anquetil *tom.* 2. *pag* 297. *& ſeq.* fragmentum codicis Indici ſeu partem theologiae Indicae affert, quam ab Arabibus corruptam fuiſſe & ipſe Anquetil animadvertit, & vocabula Arabica textui Indico paſſim inſerta luculenter demonſtrant. Confer in

portari, quomodo verti potuerant, ſi nulli veri & originales codices in India exſtabant? Pellantur ergo vana illorum commenta, qui coniecturas in argumenta, viſiones ſuas in certitudines vertendo, nobis ſuadere volunt, Indos religionem ſuam, artes, libros, doctrinam ab Aegyptiis, Perſis aut Graecis accepiſſe, Brahmanes non niſi Hierophantarum diſcipulos eſſe. Arrianus hiſt. Ind. cap. 10. p. 569. edit. Amſtel. *Feruntur etiam haec: non concedere Indos monimenta mortuis; virtutes enim virorum ad perpetuandam poſt mortem memoriam ſufficere exiſtimant, & carmina & odas quibus eorum virtutes decantant*. Odae ergo & carmina antiquitus inter Indos exſtabant. *Nec dubitari debet*,

in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. p. 159 & ſeq. diſſert. D. Chambers in ruinas templi Indici *Mahávali puram*. La Loubere *du Royaume de Siam* tom. 1. p. 516. edit. Paris 1691. *Les Chinois diſent, que les Bonzes, & leur doctrine. leurs ſont venus des Indes, la huitiéme annee du regne de Mim ti, qui répond à la 65. de notre ſalut*. Et pag. 522. ait: *Ces fables ſont à peu prés les mémes par toute l'Inde* (India, Ceilan, Pegu, Ava, Siam), *come le fond de la doctrine eſt partout le méme, ou à peu prés*. Nihil heic dicendum eſſe cenſeo de antiquitate, quam ipſi Indi aliquibus ſuis codicibus adſcribunt. Si fabulis eorum fidem adhibeas, libri *Védam*, ſi libri dici poſſunt, ad ipſam diluvii univerſalis epocham referendi ſunt, nam tunc libros *Védam* ab *Iranya* gigante in mare proiectos per *Vishnu* deum in piſcem incarnatum e mari ſublatos ac ſervatos fuiſſe comminiſcuntur. vide in ſyſtemate Brahmanico *tab*. IX. 6. in qua ex autographo Indico quatuor libri *Védam* ad littus mari appinguntur. Verum ſi in hiſtoricam Indicorum codicum antiquitatem inquiras, multa ſuadent, plures eorum ad quadringentos aut quingentos annos ante Chriſtum natum referendos eſſe, quo nempe tempore Phoenices, Graeci, Chaldaei, aliaeque gentes poetas ac mithologos iam habuere. Confer librum inſcriptum, *Allégories Orientales ou le fragment de Sanchoniaton par M. Court de Gebelin*, a Paris 1773. *pag*. 15. *& ſeq*. ubi pro authenticitate huius fragmenti *Ioannis Voſſii*, *Bocharti*, *Theophili Gale*, *Iſaci Caſauboni*, *Cumberlandi*, *P. Pezronii*, *& Fourmontii* auctoritatem affert, & fragmentum hoc ad remotiſſimam antiquitatem reiicit. vide etiam *Recherches ſur l'époque de l'équitation* tom. 1. pag. 163. & 164., ubi auctor *a Moſe* poematis in laudes Sehon *num. c. 21. v. 27.*, iam tunc inter *Amorhaeos* exſtantis mentionem ingeri recte animadvertit. Pomponii Attici, Aſinii Pollionis, C. Iulii Caeſaris, Octavi Auguſti, Iuliani, denique Ptolemaei Philadelphi bibliothecae meminere Cicero, Plinius, Galenus. Quemadmodum igitur hi populi a remotiſſima antiquitate ſuos poetas & poemata habuere, ita Indi ſaeculo praedicto, dum nempe inter eos ſcientiae, artes & religio florebant, poemata habuiſſe cenſendi ſunt, cum Indi tempore Alexandri M., ut Strabo *lib*. 15. teſtatur, litteris, legibus, cultu, artibus eſſent politiſſimi. Confer *obſerv. prélim*. tom. 1. pag. 35. 103. 157. *La philoſophie des Brachmanes & celle des Samanéens paroiſſent avoir été au tems d'Alexandre dans l'état le plus floriſſant*. Confer *Arrianum in hiſtor. Ind*. cap. 11. & 13. pag. 571. 574. & cap. 15. & 16. *edit. Amſtel*.

quin fuerint ante Homerum Poetae, quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quae apud illum, & in Phaeacum, & in Procorum epulis canuntur. Cicero *in Bruto* cap.18. oper. tom.1. *p.* 395. confer Strab. *Geog. l.* 1. *pag.* 13. *&* 29. Unde doctiſſimus P. Gabriel Fabricy in ſuo libro inſcripto, *Recherches ſur l'Epoque de l'équitation, & de l'uſage de chars équeſtres* tom. 1. pag. 163. ait: *Ie croirois plutot, qu' ainſi que biens d'autres peuples, ils* (Graeci) *euſſent avant Homere des poetes, qui leurs tenoient lieu d' hiſtoires*. Cum igitur liber Amaraſinha, aliique nonnulli Samſcrdamici codices religionem poeticam & philoſophicam Indicam, ac praeſertim caeli ſyſtema, planetarum in deos & ſymbola tranſmigrationem rite explicent, ſtatuas, figuras, ſymbola Indica luculenter aperiant, in antiquiſſimis Indicis templis exſiſtentem deorum ſeriem eorumque proprietates & attributa deſcribant, atque haec eadem cum aliarum gentium mythologia apprime conſentiant, libri hi authentici & antiquiſſimi ſint, eſt neceſſe.

Nuperrimus cenſor in *Reliquiis actorum S. M. & Abb. Paneſnio pag.* 282. ita nobis occinit: *Vide porro ne heic mihi fabulas oggeras vel ex ipſis tantopere decantatis libris Brahmanicis* Sambhavam *vel* Youdhiſtira *depromtas, hi enim nonniſi poſt Alexandri magni, immo poſt ipſius Arriani tempora exarati iure putantur. Una inſcriptio fabuloſi libri* Yudhiſtira *eum ex pſeudo evangelio* Iudae *impia fraude poſt haeretica Valentinianorum commenta, conſarcinatum aperte demonſtrat*. In turgidulis noſtri cenſoris venis effuſum ignem paullo compeſcamus. *Primo*, Arrianus ne verbum quidem ſive in *hiſtoria Indica*, ſive in *Alexandri expeditione* de libris Indicis profert, nullam eorum aetatem definit. Quonam igitur iure, quo monumento, qua ratione librorum Indicorum aetatem poſt Arriani tempora reiicit cenſor? *Secundo*, Arrianus in *hiſt. Ind. cap.* 10. *pag.* 569. *edit. Amſtel.* ait: *Feruntur etiam haec: non concedere Indos monumenta mortuis* (quemadmodum nec hodie concedunt:) *virtutes enim virorum ad perpetuandam poſt mortem memoriam ſufficere exiſtimant, & carmina atque odas, quibus eorum virtutes decantant*. Et Q. Curtius lib. 7. c. 17. *Patrio carmine noctium invocantes deos*. Strabo lib. 15. *cum magicis carminibus & ligaturis medicinam affingere*. Habuerant itaque Indi iam

Digitized by Google

iam tunc temporis carmina magica, odas ad celebrandas virorum defunctorum laudes, & indigitamenta ſeu τελετὰς ad deos ſuos invocandos. Confer Scaliger. *pag.* 322. in notis ad Orphei hymnos *edit. Traj.* & Ezech. Spanhemi *obſerv. ad Iuliani Imper. orat.* 1. *p.* 259. *Lipſ.* Quis vero neſcit Arrianum, Q. Curtium, Strabonem, Plutarchum, qui utique ipſi Indiam non luſtraverant, ea quae de Indis tradunt, a maioribus ſuis, a ſcriptoribus vetuſtioribus, a Nearcho, Cteſia, Eratoſthene, Diodoro, Megaſthene accepiſſe? Arrianus certe & Strabo hos vetuſtiores ſcriptores identidem citat. Confer. A. H. L. Heeren *commentationem de Graecorum de India notitia. Anno* 1790. Cum igitur Strabo, Arrianus, Curtius, Plutarchus ex anteriorum ſcriptorum ſententia & fragmentis Indicas res perſcripſerint, & hi iidem ſcriptores ab Indis *carmina & odas cani*, *carmine deos ſuos invocari*, *epiſtolas in elegantibus ſindonibus ſcribi* ſolitum fuiſſe perhibeant, quis, niſi pertinax & litigioſus Indicarum rerum adverſator dicat, carmina, odas, indigitamenta, fabulas, libros poſt Alexandrum Magnum, quin immo poſt Arriani, Strabonis, Q. Curtii, & Plutarchi tempora inventos, confictos, exaratoſque fuiſſe? Quis non credat haec ante Plutarchi, Strabonis, Arriani aetatem inter Indos obtinuiſſe? Quis niſi ariolus haec omnia a Valentinianorum haereticorum ſomniis deducat? Meminerit cenſor, Indos ſero nobis innotuiſſe, ſed numquid ideo nullae apud Indos artes, nullae ſcientiae, nulli libri antea reperiebantur, numquid ideo hi libri, haec carmina & odae recentes dicendae ſunt? *Conſcriptio rerum apud Barbaros potius ſolemnior quam apud Graecos, & cunctarum rerum iunior apud hos eſt hiſtoriae diligentia conſcribendae.* Ioſeph. *Cont. Apion. lib.* 1. *p.* 873. 877. Et Strabo lib. 15. *Praecipue Brahmanes probat* (Megaſthenes), *quod cum Graecis in opinionibus concordent.* Cum Graecis, adverte bene, cum Graecis philoſophis Alexandro coevis concordant non cum Valentinianis haereticis & pſeudo evangelio Iudae. Hui, tam ſero expergiſceris optime cenſor, ut philoſophiam Brahmanicam pſeudo-evangelio *Iudae* poſt haeretica Valentinianorum commenta attribuas! Sed fecunda imaginatio ubique ſuum invenit pabulum,

fit

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſit itaque *Tertio*. Nimium ſibi, auctoritati, & opinioni ſuae adblanditur cenſor, dum ex inſcriptione libri *Yudhishtira* eum ex pſeudo evangelio *Iudae* conſarcinatum eſſe perquam liberaliter comminiſcitur. Anne pſeudo evangelium Iudae de bello Pandavarum Indicorum agit? An de Krshna nigro indico deo & de Indica vetuſtiſſima *Pandaea* gente, cuius meminit Claudius Ptolemaeus, Plinius & Arrianus, pſeudo-evangelium hoc vel unicum verbum, aut ſententiam profert? *Yudha* Samſcrdamice & *Yudham* Malabarice ſignificat *bellum*, *pugnam*, *conflictum*. Vide Vocabularium Brahmanicum *Amaraſinha* repart. *Kshetriavarggam*, item dictionarium P. Hanxleden, D. Archiepiſcopi Pimenteli, P. Biſcoping, & P. Ildephonſi ſub voce *Yudham*, ubi habent: *Batalha*, id eſt, bellum, pugna, conflictus. *Yudha* ergo non eſt *Iuda*, quod putat noſter cenſor. *Ishta* vel *ishtam* guſtus, appetentia, conatus cum ardore & deſiderio. Vide eoſdem. *Yudhishtira* itaque eſt liber, *bella appetentium*, ſeu cum ardore *belligerantium*, quales filii Pandavae revera fuerunt, & quorum bella in hoc libro deſcribuntur. Lege codicem ipſum, qui quia verſibus Samſcrdamicis & lingua Samſcrdamica ſcriptus eſt, ac a Brahmanibus maximi penditur, non recens, non ſpurius, non ex *Iudae* pſeudo-evangelio conſarcinatus ipſe ſit oportet. Quod ſi auctori ex fabulis Indicis facta hiſtorica, atque ex Indicis diis reges, heroeſque veros protrudere placet, nec ſic quidem librum Yudhishtira ex Iudae pſeudo-evangelio conſarcinatum fuiſſe evincet. Adeat cenſor Anquetilii *Recherches hiſtoriques & géographiques ſur l'Inde part.* 1. *p.* XXXII. *art.*3., videbitque ex hoc eodem libro Yudhishtira a Perſa *Tedzkerat Aſſalatin* ex lingua Samſcrdamica in Perſicam verſo, aetatem & bella *Pandavarum* ex ſerie Indicorum regum 3723. annis aeram Hegirae praecedere. Vide calculum Anquetilii *pag.* L. VI. Confer etiam de libro Yudhishtira ſeu *Mahàbhàrada*, cuius una pars eſt *Yudhishtira*, diſquiſitiones Anglorum Calcuttenſium in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. p. 261. *Having taken* (Vishnu ſeu Krshna) *under his protection the king Yudhishtir and the Pandus* (Pandavas); *Who had been grievously oppreſſed by the Curus* (Cauravas), *and their tyranical Chief, he Kindled the War*, *de-*

ſcri-

ſcribed in the great Epick Poem , entitled the Mahàbhàrat . Anne haec bella in pſeudo-evangelio *Iudae* deſcribuntur ? An evangelium *Iudae* poema epicum eſt ? At haec dicta ſunto , non certe animo , quod abſit , viri doctiſſimi atque graviſſimi aliqua iniuria exagitandi, ſed uno amore colendi tuendique veri. Ceterum de Krshna Indico deo cenſorem alibi opportunius conveniemus. Haec pauca de codicum antiquitate dicere libuit , alia ad eos diſcernendos afferamus .

§. III.

Prima , generalis , conſtans regula ac nota , qua veri , originales , canonici , & veteres Indici codices a ſpuriis , illegitimis , recentibus , & corruptis diſcerni debent , eſt , ſi codices illi antiqua , ſacra , litterali ac Liturgica lingua Samſcrdamica ſunt conſcripti . Hanc notam codicibus Indicis ſinceris rerum Indicarum periti & imperiti adſcribunt , & recte quidem , nam ſacrae veteres Indorum res lingua ſacra conſcribere conveniens fuiſſe videbatur , & lingua mater ante filias extiterit eſt neceſſe . Adde , linguam hanc poeticam , & philoſophicam eſſe , in antiquis monumentis , lapidibus , laminis cupreis ab Anglis Calcuttenſibus erutis & inventis , in ſpecubus antiquis in ſacris libris quos Indi hodiedum poſſident , reperiri , huic denique linguae ediſcendae Brahmanes hodiedum operam navare , hac una in ſacris ritibus , luſtrationibus & ſacrificiis uti . (1) Illi ergo codices Indici , qui hac lingua conſcripti ſunt , genuini , ſinceri , & canonici ſunt , niſi aliqua fraus

(1) R. P. Marcus a Tumba in cod. mſſ. in fol. in Muſeo Borgiano exſtante pag 196. *La lingua Samſcrit* (Samskrda) *è una lingua morta nel publico , ma lingua dei libri , che chiamano anche lingua dei Dei , che ſarebbe come fra noi la lingua latina , che non ſi ſa ſe non da chi l' impara con ſtudio* . R. P. Ioannes Erneſtus *Hanxleden* huius linguae peritiſſimus , & cui in hac peritia Europaeorum nemo aequiparari poteſt , in ſuo dictionario *mſſ.* inter codices Indicos bibliothecae Sag. Congr. de Propag. Fide sub voce *Samskrda* habet : *lingua dos Sabios , item , couſa bem concertada* , Samskrda lingua Sapientum , item , res bene coordinata , res perfecta . Confer *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 160. *in the principal Samſcrit Dictionary compiled about two thouſand years ago* . Ubi vides ex ſententia anglorum Calcutenſium Brahmanes linguae Sacrae dictionarium (nempe *Amaraſinha*) poſſidere , atque pag.

fraus peculiaris ſubſit, quae ſuadeat, codicem aliquem inter ſpurios referendum eſſe.

Secundá nota boni, veri, ac genuini Indici codicis eſt, si hic res mythologicas, allegoricas, poeticas, philologicas, ad cultum deorum, & genealogiam eorum, ad ritus, ſacrificia Indica, ad aſtronomiam, ad naturam, ad luſtrationes, ad peregrinationes ad Indiae Sanctuaria, ad tranſmigrationem animarum, denique ad dogmata Indica pertinentes, pertractet, si hic idem locis Indicis, ſtatuis, templis, ſymbolis, figuris, idolis antiquis hodie in multis Indiae vetuſtis delubris ſuperſtitibus conveniens eſt, ea illuſtret, aut in ea devotionem ſuadeat, eorum laudes aut miracula narret. Dummodo tamen hic idem codex lingua Samſcrdamica sit ſcriptus, neque vulgarium linguarum Indicarum, minus externarum vocabulis ſcateat, etenim si his reſperſus eſt, novitatis aut corruptionis ſuae vitia prodit. Hujus regulae ratio per ſe patet. Indi ut ex paullo antea dictis perſpeximus, ac in toto ſyſtemate Brahmanico docuimus, Deum *Janum* id eſt *Ganesha*, Bhaváni ſeu *naturam*, deam Lackshmi ſeu *Venerem* & *Cererem*, aliaque ſymbola ad naturam, ad aſtra, ad terram, ad Gangem, ac alia Indiae flumina & loca ſpectantia aut ea commendantia adorant, itaque eorum codices antiqui ad haec quoque referantur eſſe neceſſe. Strabo lib. 15. *Indi & Jovem pluvialem* (deum Indra) *& flumen Gangem, & Indigetes Genios colunt*. Et iterum: *Nearchus cum de Sophiſtis* (Indicis) *mentionem facit, Brachmanas in civitatibus verſari dicit, & reges ſequi, & eorum conſiliarios eſſe, ceteros autem quae ad naturam pertinent contemplari, ex his Calanum fuiſſe, & cum eis mulieres philoſophari, & omnium vitas duriſſimas eſſe*. Hoc jam Alexandri M. aetate cujus navarchus erat Nearchus. Clemens Alex. Strom. lib. 1. §. 132. edit. Venet. *Apertiſſime autem ſcriptor Megaſthenes, qui vixit cum Seleuco Nicatore ſcribit in tertio rerum Indicarum, omnia quidem,*

quae

(pag. 143.) in illuſtrandis monumentis ſuis aut obſcuris vocabulis explicandis ad hoc dictionarium confugere (pag. 144). Vide etiam Zend-A-Veſta *tom*. I. *pag*. 3. Sonnerat de linguis Indicis, & noſtram *diſſertationem hiſtorico-criticam in linguam Samſcrdamicam*, Romae anno 1790. ex typographia S. Congr. de Prop. Fide.

quae de natura dicta ſunt a veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra Graeciam philoſophantur, partim quidem apud Indos Brahmanes, partim vero in Syria ab iis qui vocantur Judaeici. Confer Diod. Sic. lib. I. p. 10. *Multa quoque alia reliquit ſui* (Bacchus) *apud Indos monumenta, ex quibus poſteri Indorum de deo illo contenderunt aſſerentes eum genere Indum eſſe*. Bacchum *Solem* eſſe nos perſpicuis argumentis alibi oſtendimus. Ad haec igitur & ſimilia Indorum philoſophia & Indici codices referendi ſunt, & qui ab his aberrant, nec antiqui, nec genuini eſſe cenſeri debent. Omnes vero genuini codices Indici poetici, philologici, aſtronomici, qui quomodocumque aera deorum ſeu chronologia caeleſti & fabuloſa utuntur, ſi Samſcrdamici ſunt, probabiliſſime ante annum quinquageſimum ante aeram Chriſtianam, id eſt ante epocham regni *Vikramáditya* regis Indici referendi ſunt. *Primo*, quia ſub hoc rege, id eſt anno circiter quinquageſimo ante Chriſtum natum Indi aera hiſtorica & aſtronomica uti coeperunt, & haec aera hiſtorica prima eſt, quae in antiquis inſcriptionibus occurrit. *Secundo*, quia ab illo tempore Graecis, Romanis, Arabibus, Perſis Indiam frequentantibus, ac regibus Indicis inter ſe diviſis & pugnantibus antiquum Indicum ſiſtema pedetentim diſſolvi, viribus deſtitui, ſcientiae veteres paullatim diminui, philoſophia, lingua Samſcrdamica, ac litteratura Brahmanica defervere, deficere, ac cadere coepit. Suetonius in Octavio pag. 76. *Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam ſuam populique Romani ultro petendam*. Et infra: *Parthi quoque . . . . . Signa militaria quae M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt*. Vide de aera ſeu epocha regis *Vikramáditya* cod. mſſ. R. P. Marci a Tumba *pag.* 200. *in muſeo Borgiano*, Niebuhr, *tom.* II. *pag.* 26. Wilford. diſſertationem in urbem *Tagara* Indicam in libro *Aſiatick reſearches* pag. 373. & pag. 142. *Remarks on the two preceding Papers by the Preſident* (D. Haſtings). Grammaticam Tamulicam R. P. Conſtantii Ioſephi *Beſchi* Trangambariae anno 1738. typis miſſionis Danicae editam *cap.* 5. Opuſculum Waltheri Miſſionarii Dani,

 Doctri-

Doctrina temporum Indica, inſcriptum, ad calcem hiſtoriae regni Bactriani a Bayero editae.

Tertium genuini codicis Indici indicium eſt, ſi liber ille in fronte, antequam materiam propoſitam pertractare incipiat, invocationem, ſeu adorationis formulam ad deum Ganēsha ſeu Ianum, ad deum Shrirāma, ad Krshna, Govinda ſeu Vishnu incarnatum, ad deum Shiva, aut ad deam Párvadi praemittat (1). E.G. ഹരിശ്രീഗണപതയെനമഃ *Hari Shri Gannabadayè namá*. Hari Shri *Vishnu deo*, Gannabadayè namá, *Ganneshae deo* (Iano) *adoratio*. De his adorationis formulis iam multis diſſeruimus in grammatica Samſcrdamica *pag*. 36. 37. 46. 47. 59. quae omnia hic recolenda ſunt. (2) Eorundem codicum finis ſeu

(1) *Nec alios Aegyptii in ipſis ſuorum ſcriptorum exordiis ponunt deos, praeter vulgo dictos planetas, & Zodiaci ſigna, & ſtellas ſimul cum his in conſpectum venientes.* Porphyrius *epiſt. ad Anebonem*.

(2) Iam ſaepe in lucrubationibus noſtris animadvertimus vocabulum *Namá* adorationem ſignificare, atque a Samſcrdamico verbo *namadi* adorat, *namaſi* adoras, *namámi* adoro, deſcendere. Vide ſiſtema Brahmanicum *pag*. 175. & *pag*. 195. Item grammaticam Samſcrdamicam *pag*. 30. 34. 59. Quare jam nemo tam audax & tam litigioſus adverſator erit, qui neget inſcriptionem tauri Burgeſii *Nama Sebeſio Deo ſoli invicto Mithrae*, eo modo explicandam eſſe, quo nos illuſtravimus in eadem grammatica *pag* 28., nempe: *Adoratio Sebeſio* (Shivae deo) *ſoli invicto Mithrae*. En illa, quae profert in *Cod. mſſ.* in Muſeo Borgiano exſtante eruditus quidam Miſſionarius Peguanus in animadverſionibus in duos Barmanorum codices: *Oſſervazioni ſopra i due libri Barmani in foglie d'arbori ſegnati num.* 1., *e num.* 2., ubi circa finem, ita diſſerit: La prima linea di queſto libro (*Padi-maukha*, quae ſunt conſtitutiones & regulae Talapoinorum), e l'orazione Pali, che ſuol preporſi, e talvolta anche poſporſi ai libri Barmani; e che tradotta in latino ſarebbe preſſ'a poco, *Adoratio illi Domino omnibus adorando vero Deo*. Queſt'orazione Pali parafraſata in Barmano ſuol recitarſi nelle adunanze di religione, dicendoſi ad alta voce prima da un ſolo, e poi da tutti inſieme. Ella è così: *Namò taſſà Bagava τώ araba, τώ Samma Samboutaſſá*. Araha: *hominum*, Nat, Brahamà, *animantium omnium oblationem, adorationem eximiam recipere meruit qui*: taſſa Bagava τώ. *illi ſupremo Deo*: Namò, *manuum iunctarum elevatio*; cio è *adoratio*: attanu: *eſſe fiat*; cio è, *fiat, ſit, tribuatur*. Haec oratio itaque coincidit cum illa Iapponica *Namu Amida Budh*, adoratio Amidae Budhae seu Mercurio; cum Tibetana, *Namò Guru*, adoratio magiſtro, id eſt deo Ganeshae seu Iano; cum Indica, *Shiva Shiváya Namá*, Shivae deo adoratio. Hae & ſimiles adorationis formulae librorum frontibus a remotiſſimis temporibus inſcribebantur, atque harum uſus etiam apud priſcos Perſas obtinuit, quod ex Plutarcho aliiſque ſcriptoribus facile oſtendi poteſt. Itaque Mithrae Perſici in villa Pinciana exſtantis inſcriptio hoc ſenſu eſt intelligenda. Ceterum cum hae preca-

ſeu ultima verba, quibus clauduntur, eſſe ſolent; ഗാനസമാപ്തം Gánaſamábdam *cantus finis*, കഥാസമാപ്തം Katha ſamábdam *hiſtoriae*, *fabulae*, *narrationis finis*, aut denique, *libri* (*ſ* ponitur titulus) *finis*. Sic ad calcem magnae hiſtoriae Indicae dicitur: മഹാഭാരതസമാപ്തം Mahábàhrada ſamábdam, *magnae ſeu univerſalis hiſtoriae finis*. Liber *Vyágarna*, quae eſt grammatica maior syntaxi coniuncta, clauditur his verbis: രൂപാവതാരസമാപ്തം *Rúbâvadáraſſamábdam*, formarum ſeu nominum in declinationes & coniugationes deſcendentium finis, imaginum verbalium in formas exeuntium finis.

Poſt invocationem deorum in libris Samſcrdamicis nullus praemittitur materiae titulus ſeu inſcriptio, ſed ea ſubinde ſequitur in fine dicendo: *hoc genus eſt tale*, ſequitur *tale*, aut ſimpliciter, *baec ad caelum*, *ad talem deum*, *ad terram*, *ad limbum ſpectant*. Tum fine ulia repartitione, ſectione, capitulo, epigraphe, vel paragrapho ſtatim alia res ſuccedit, cuius denominatio in fine additur. Neque libri veteres Samſcrdamici more noſtro in capita, numeros, aut paragraphos diviſi ſunt, ſed ſub uno conſpectu abſque aliqua inſcriptione omnia ea collocantur & referuntur, quae quomodocumque ad materiem quae pertractatur, pertinent, atque cumulus ille rerum ita congeſta-

precatiunculae Samſcrdamicae ſint, Peguana illa ad huius linguae etymologias reducta verius ſonat: *Adoratio illi Mercurio*, *qui omnia intelligit*, *omnia noſcit*. *Primo*, quia *Namo vel Namá* abſque omni dubio vox ëſt Samſcrdamica *adorationem* ſonans. *Secundo*, Bhagavan, nomen eſt *Budae ſeu Mercurii* in vocabulario Amaraſinha deſcriptum, quod beatum, felicem, ſanctum ſignificat, ac per antomaſiam deo Shivae ſeu ſoli, Krshnae Indico ſeu Apollini, & Budhae ſeu Mercurio in eodem vocabulario attribuitur. Vide ſiſtema Brahmanicum pag. 155. *Bhagavan*, ait R. P. Hanxleden in dictionario Malabarico-Samſcrdamico, *per antono*: *Budhamuni* (qui idem Budha, Godama & Mercurius). Item *Shiva*, *item Vishnu*, *por ſua ſignificaçao he Santo*. Denique *Samanaſa* ex quo *Samana* corruptum fuit, genium, & *Samboutta* conſcium, intelligentem, ſcientiam poſſidentem ſonat, quae omnia Budhae, Gaudamae, ſeu Mercurio *Májae* deae Filio, quem Indi, Tibetani, Peguani, Avenſes, Sinenſes & Iapponenſes adorant, mirifice conveniunt.

rum *candam*, *varggam*, *giádi* , id eſt capitulum, ſeu verius multitudo rerum ſimilium ad ſe invicem ſpectantium, genus earumdem rerum, claſſis, famlia rerum earumdem vocatur. Sic in libro Amaraſinha dicitur, ധീവർഗ്ഗം *Dhívarggam*, ബ്രാഹ്മണവർഗ്ഗം *Brahmanavargga etc.*, genus rerum ad intellectum, ad ſpiritum ſpectantium, genus rerum ad Brahmanes, & eorum officia pertinentium; & in libro Sambhavam: മത്സ്യകാണ്ഡം *Maſsia cándam*, multitudo rerum ad incarnationem Vishnu dei in piſcem ſpectantium. Clauſulam librorum Indicorum communem animadvertit etiam Anquetil du Perron pag. 322. part. II. in ſuo libro *Recherches hiſtoriques & géographiques ſur l' Inde*, inſcripto, *l' Oupnekhat .... eſt achevé*, finis libri ſeu narrationis Oupnekhata. Recentiores libri, ex lingua Samſcrdamica in vulgares Indicas verſi, dum genuini ſunt, pariter hunc morem ſequuntur, ſed capitulis minoribus, & ſubinde in fronte titulo ſeu inſcriptione gaudent. Recentiores hi codices genuini, qui ab eruditis Brahmanibus ex idiomate ſacro Samſcrdamico in vulgares Indicas dialectos fuere verſi, verſibus ſunt conſcripti, & horum verſuum harmonia in primas ſyllabas utriusque verſus cadit, non autem in ultimas ut apud Europaeos. Vide grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 18. Poemata itaque haec vulgaribus linguis & verſibus exarata, പർവ്വം *parvam* vocantur, quod vocabulum in lingua vulgari Indoſtana alii corrupte ſcribunt *porb.* Vide *Recherches hiſtoriques, & géographiques ſur l' Inde*, II. part. pag. 563. 564., ubi Anquetil rerum Indicarum ſemiperitus *parvam*, quod *porb* ſcribit, non poema, ſed librum eſſe autumat. Le ſavant traducteur (*D. Wilkins*) ne dit pas de quel *Porb*, ou livre, le *baguat-guita* eſt tiré. Quid de caeco ſenties dicesque, qui monoculo ducem ſe praebeat? Talis eſt hac in re D. Anquetil. Libro indico genuino *Bhágavada guitá*, quem D. Wilkins aliquibus falſis & futilibus animadverſionibus iam coin-

qui-

quinavit, D. Anquetil ſuos centones aſſuit, & en *ut turpiter atrum*

Deſinit in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Parvam, ait R. P. Hanxleden in dictionario Samſcrdamico, *certa poeſia a çerca dos filhos de Pándu*, item *iohelho*, Parvam poema de filiis Pandu (Pandava, Pando, Pandion aliis), item genu. Itaque dictio *parvam* praeprimis poema de bello Pandavarum ſignificat, & haec eadem vox multis reliquis poematibus, & cantibus Indicis attributa fuit, ſic ഭീഷ്മപൎവ്വം *Bhiſhmaparvam*, poema Bhiſmae vel Bhima terribilis gigantis contra Vishnu bellum gerentis, ആദിപൎവ്വം *Aadiparvam*, poema quaſi princeps, ita dictum, quod geſta fabuloſa dei Vishnu deſcribat, quem pro principe deo obtrudere adlaborat. Confer Alphabetum Grandonico-Malabaricum *pag.* XVI. & 7. Item *cod. mſſ.* R. P. Marci a Tumba in fol. *pag.* 199. & 194., ubi de Indicis codicibus ita diſſerit: *Queſti libri ſono tutti, o quaſi tutti ſcritti in lingua Samſcritta, lingua de' Bramini, e tutti ſono in Poeſie, ripiene di parabole, ed allegorie, pochiſſimi ſono ſcritti in lingua volgare, ſe non che li libri delle ſette, e riforme ed alcuni altri iſtorici* (fabuloſi) *come le iſtorie di Ráma, di Criſna* (Krshna), etc. Parvam itaque poemata ſunt, non autem materiales libri.

Quartum veri & ſinceri codicis Samſcrdamici Signum eſt, ſi codex ille per ശ്ലോകം slogam vel shlogam, id eſt, per ſententias ſit ſcriptus. Recte animadvertis Diogenes Laert. *de vitis philoſoph. in prooemio*, pag. II. edit. Rom. *Gymnoſophiſtas per aenigmata, & breves ſententias philoſophatos fuiſſe.* Sententiae hae non ſunt verſus, id eſt, harmoniae legibus quoad syllabas non ſubiiciuntur, certo tamen numero verborum & syllabarum conſtant, quem excedere non licet. Hunc philoſophandi & ſcribendi morem veteres illi philoſophi memoriae iuvandae cauſſa inſtituiſſe videntur. Shlogam itaque proſa eſt certo syllabarum numero alligata, quem numerum

Bra-

Brahmanes പദം *padam* vocare ſolent. Eſt autem padam *pes*, പദ്യം padyam *verſus*, unde ad inſtar verſuum ſententiam ſeu slogam certis pedibus conſtare neceſſe eſt. Longiſſima ſententia 38. pedibus ſeu syllabis componi solet, cui altera totidem pedum, aut numero pedum inferior ſubiici poteſt. Vide de conſtructione harum ſententiarum Samſcrdamicarum, quae in libris vulgaribus locum non habent, grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 159., Vide etiam tom. II. pag. 254. *Addition. aux obſerv. préliminaires ſur l' Ezour-Vedam*, ubi D. Halhed animadvertit: *Ces livres ſacrés* (Indici), *ne ſont pat écrits en vers, comme on l' a imaginé iusqu' à préſent, mais en une espece de proſe meſurée*. Calcuttens. Angli in libro, *Aſiatick reſearches. pag.* 126., & alias ſaepiſſime ſcribunt *Slokes* pro *Sloga* in plurali, atque hoc vocabulum reddunt per Europaeum *ſtanza*, ut nos ſaepe reddidimus per *ſtropha*. Quidquid de hac dictione ſit, de qua litem movere nolumus, id animadvertere ſufficiat, in dictionario Excell. D. Pimentel Archiepiſcopi Cranganorenſis *sloga* pro *ſententia* poni, id quoque optime vocabulum illud exprimit, & rei convenit. His itaque ſententiis veri originales Brahmanici codices conſcripti ſunt, & hae ſententiae ſaepe ex ordine numeris inſignitae referuntur, ita ut facile conſtet, ex quot ſententiis liber totus compoſitus ſit. Talis eſt ſincerus ille codex *Yudhishdira* inſcriptus, quem a Brahmanibus academiae Triciuricenſis acceptum R. P. Hanxleden ſua manu ſolicite & correctiſſime deſcripſit, & quem ego poſt obitum eiuſdem Patris precio comparatum nunc poſſideo. His ſententiis, ſeu slogam pariter eſt exaratus genuinus liber *Bhágavadam*, cuius duodecim slogam nos in grammatica Samſcrdamica *pag.* 177. *& ſeq.* attulimus. Denique talis eſt codex *amaraſinha*, ſeu vocabularium Samſcrdamicum Brahmanicum, cuius duo exemplaria coram habeo, unum a Brahmane acceptum correctum & dicylis distinctum ad faciliorem eius lectionem, aliud vero verſibus ſeu per *slogam* ſcriptum, quod indigitamenta deorum a nobis in ſiſte-

Digitized by Google

ſiſtemate Brahmanico iam allata continet. Haec igitur praecipua nota eſt, qua veteres Indici ſinceri codices a novis & vulgaribus diſtingui debent, etenim cum linguae veteris Samſcrdamicae ſtudium inter Brahmanes obſoleverit, & pauci ſint, qui hos veteres Samſcrdamicos codices legant, aut intelligant, profecto pauciores & minus habiles ſunt ad novos Samſcrdamicos per slogam ſeu ſententias componendos; ac proinde periculum abeſt, novos & corruptos veteribus ſupponendi, utpote quos vix legere, minus vero eis ſimiles fingere ſciant.

Quintum non contemnendum ſignum veri & ſinceri veteris Indici codicis eſt, ſi auctorem habet fictum, allegoricum, fabuloſum, poetam, aut deum aliquem, vel Muni ſeu veterem hesyehaſtam ſamanaeum, goſámi, aut philoſophum antiquum. Quemadmodum Phoenices hiſtoriam ſuam, & primos ſuos codices Thoth ſeu Hermae, quem nos Mercurium eſſe in ſiſtemate Brahmanico *pag.* 155. *et ſeq.*, ac nuperrime in opuſculo *Indiae orientalis geographia ſacra* inſcripto, invictis argumentis demonſtravimus, adſcribebant (t); quemadmodum pariter Aegyptii oppida ſua ab antiquis diis condita fuiſſe fabulabantur, ita plane Indi hiſtoriarum ſuarum & codicum inventionem deo Bu-

(t) *Ab illo autem auſpicatum eſſe* (Sanchoniatonem) *quem ab Aegyptiis Thoyth, ab Alexandrinis Thoth, nominatum Graeci* Ερμῆν *hoc eſt Mercurium reddidere.* Euſeb. *praep Evang. lib.* 1. §. 9. *pag* 30. 31. 34. 40., ubi vide, quae de his Ammoneorum libris dicuntur. *Leges quoque Iſidem* (Lunam) *ſtatuiſſe ferunt* (Aegyptii), *quibus iuſtitia aeque omnibus ſervaretur vi atque iniura timore poenae ſublatis.* Diod. Sic. *rer antiq l.* 1. *pag.* 9. *edit. Baſ.* Et infra: *Hunc* (Mercurium) *primum & verba in ordinem redegiſſe, & multis indidiſſe rebus nomina; fuiſſe quoque litterarum inventorem aiunt. inſtituiſſe quoque quo honore, quibusve ſacris colerentur dii.* etc. Et iterum lib. 2. cap 10: pag. 61. *Haec de Baccho deque progenitoribus eius, ab his qui Indiae montana incolunt traduntur etc.* Et iterum: *Multas praeterea urbes ab eo* (Hercule) *conditas* (in India) *ſcribunt: maximam clariſſimamque appellavit Palibotram, in qua ſumptuoſa aedificia regia, multos in eam induxit incolas.* Urbs Indica *Palibotra* Bayero *in hiſtoria regni Bactriani pag.* 36. eſt *Palipat bur*, quod iterum corruptum eſt; nam ſcribi debet Pallipatur. *Ur* patria, colonia, vicus incolis refertus, *palli* delubrum, locus ſacer, *patna* vel *patan* urbs, caſtellum. *Pallipatur* itaque, vicus, colonia, urbs eſt, in qua delubrum deorum exſtitit. Hanc ab Hercule conditam fuiſſe prodidit Diodorus Sic:, quod innuit eius remotiſſimam antiquitatem. Confer de urbibus Aegyptiis pariter a diis conditis eumdem Diodor: *c.* 1. *pag.* 9. Euſeb. *praep. Evang. lib.* 3. §. 4. *pag.* 89.

Digitized by Google

Budhae & Iano adſcribunt, litteras ſuas (1) & urbes a diis ſuis conditas & inſtitutas fuiſſe obtendunt. ബുദ്ധി budhi *intellectus*, *conſilium*, ബുദ്ധം budham *res nota, intellecta*, ബുധൻ budhen, & Samſcrdamice Budha, *planeta Mercurius*, ബുധ Budha vel ബുധമുനി Budhamuni, *heſychaſta intelligens*, *contemplator*, genius aſtrum vehens ſeu planetae rector, & allegorice *monachus* ac *contemplator*, nempe deum ſolem contemplans. *Euseb. praep. Evang. lib.* 2. ex Sanchuniatone: *Animantia quaedam erant omni ſenſu carentia* (nempe aſtra per caeli latifundium Phoenicibus currere viſa), *quae poſtmodum intelligentia praeditos animantes* (id eſt genios) *procrearunt*. *Eos illi* (Phoenices) *Zophaſemin*, *hoc eſt caeli contemplatores nominarunt in ovi figuram conformatos*. Ex his contemplatoribus unus eſt *Budha* Indicus, idem qui *Dherma* ſeu Mercurius, & hic idem, mens, intelligentia, conſilium, rex, philoſophus, ſex ſcientiarum peritus, venerabilis, artium & religionum inventor, viator inſignis, contemplatorum praeſes inſcribitur. Vide Amaraſinha *ſect. ſorgga varggam*, syſte-

(1) De origine ac formatione litterarum & linguae ſacrae Samſcrdamicae, quam Brahmanes *Iſhvarae*, id eſt Supremo Domino, & deae *Shakti*, hoc eſt, naturae attribuunt, vide Alphabetum Grandonico-Malabaricum ſive Samſcrdonicum Romae 1772. *pag.* 8. Grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 25. *& ſeqq.* De Alphabeto Tibetano ac libris legis moralis & civilis afflante ſapientiae numine *Giam-Iang*, hoc eſt Iano (Indis Ganésha) compoſitis, vide Alphab. Tibetanum pag. 191. & pag. 8. in praef. *Iſtas* (litteras) *uti prodigioſa quaedam munera e caelo demiſſa venerantur* (Tibetani); *Deoque ſapientiae* Giam-Iang. *tamquam auctori & artifici referunt acceptas*. R. P. Marcus a Tumba Miſſionarius Indicus, qui etiamnum in India verſatur *in Cod. mſſ. in fol. pag.* 198. in Muſeo Borgiano extante ait: *Aſſeriſcono li Bramini, che queſti libri furono dettati da Bias*) Indis meridionalibus Vyáſa vel Biàſa) *contemplativo, e furono ſcritti da Ganès*) Ganesha, quem nos Ianum ſapientiae numen eſſe in Syſtemate Brahmanico perſpicue docuimus) *figlio putativo di Mahádeva* (Schivae), *il quale per ſcriverli, fece un mare d'inchioſtro*. Ita Sinenses *Fo-hi* suo, id eſt *Mercurio* inventionem litterarum & codicum suorum adscribunt. Vide inter manuſcripta bibliothecae S. Congregationis de Prop. Fide fragmentum epiſtolae cuiusdam Pekinenſis Miſſionarii e S I *Fouhi & Mercurius iisdem ſymbolis adumbratus eſt: a Sinenſibus quidem* Fouhi *per litteras ſuas & characteriſmos. ab Aegyptiis vero & aliis occidentalibus Hermes* (Dherma) *per imagines & ſtatuas etc.*

Digitized by Google

ſyſtema Brahmanicum *pag.* 155. *& ſeq.* Macrobius *lib.* I. *Saturn. cap.* 12. Mercurium & Venerem ex veterum philoſophia ſolis quaſi ſatellites, Mercurium Majae deae filium, ſermonis potentem, ſermonis auctorem, mentis potentem etc. adſtruit, idem plane quod Indi in praedicto *Amaraſinha* & in libro *Sambhavam* docent, ubi Jovem, Mercurium & Venerem (apud Brahmanes generis maſculini) poetas, doctores, philoſophos fuiſſe comminiſcuntur, & diſcipulos, filioſque eis aſſignant. Confer de Budha ſeu Mercurio *Indiae orientalis geographiam ſacram*, ubi Budhae res mythologicas accuratius enucleavimus. Huic ergo Budhae ſeu Mercurio, quemadmodum Aegyptii, Phoenices, Graeci, ita quoque Indi inventionem librorum, litterarum, ſcientiarum, rituum, religionis, aſtronomiae, philoſophiae & contemplationis ſcientiam ac inſtitutionem adſcribunt, eiuſque in hoc mundo apparitionem ad mille circiter & quadringentos annos referunt. Diod. Sic. lib. I. pag. 8. *Homerus, qui ad Aegyptios profectus eſt, multaque ab eorum Sacerdotibus percepit, haec tamquam vere in opere ſuo deſcribit, deos ſaepius in alienis formis circumire urbes, vitia & virtutes hominum inſpicientes.* Et ſupra dixit: *Aegyptii ferunt hos quinque deos ſolem ſeu Bacchum, Lunam ſeu Iſidem, ſpiritum seu Jovem, ignem seu Vulcanum, terram ſeu Cererem, Oceanum patrem omnem peragrare terram, apparentes hominibus in ſacrorum animalium formis, quandoque autem in hominum, aut aliorum ſpecie; quod minime fabuloſum videtur, ſiquidem iſti ſunt, qui omnia generant & producunt* (1). Confer Plutarcum de *Iſide*. Quemadmodum igitur Hercules & Bacchus omnem peragavit terram, ac urbes Aegyptiacas,

 & In-

(1) Haec igitur eſt baſis Indicarum Incarnationum ſeu transformationum deorum dearumque in homines. Krshna ſeu Apollo, Párvadi ſeu Iſis Indica, Budha ſeu Mercurius humanam formam aſſumpſiſſe, Indiam circumiviſſe, leges tuliſſe, urbes condidiſſe, regna inſtituiſſe, homines inſpexiſſe pervetuſta fide creditur. Itaque incarnationum dei Vishnu fabulae huic fundamento innituntur, non autem pſeudo evangelio Valentinianorum. Quando & ubi docuerunt Valentiniani deum in animalium formis apparuiſſe, quod docent Indi? Quandonam ipſi decem incarnationes adſtruxerunt, quas adſtruunt Indi? Incarnationum itaque ſeu transformationum divinarum gentilicarum idaea fabuloſa, quae nihil commune habet cum Sanctiſſimi Domini Noſtri incarnatione, iam ante aeram vulgarem inter Gentiles Indos & Aegyptios obtinebat, neque ex Valentinianorum ſomniis deducta fuit.

& Indicas condidiſſe, populos perpoliviſſe; colonias ſtabiliviſſe ex veterum opinione perhibetur, ita Mercurius ſub variis formis apud pleraſquegentes religionem, artes & ſcientias inſtituiſſe, primus litteras tradidiſſe, codices conſcripſiſſe fertur. Hic Budha, Dherma, Herma, seu Mercurius Peguanis, Siamenſibus, *Avenſibus Gaudama*, *Godama* aut *Shakya* (aliis corrupte Xaca, Chekia, Xacamuni, Baodda, Buth, Thoth etc.) dicitur; quae Budhae vocabula, epitheta ſeu cognomina varias eius proprietates exprimentia in vocabulario Amaraſinha ſunt deſcripta. Hic idem Budha Sinenſibus *Fohi* vel *Fo*, Tibetanis *Put*, *Baodda*, *Budda* etc., eisdem libros, religionem, & artes tradidit. Vide de his De la Loubere *du Royaume de Siam tom.* I. *pag.* 536., ubi Pout (id eſt Budha) primarium Siamenſe numen, Mercurium ſcientiarum deum eſſe palam & aperte docet. Strabo de donis a Poro Indiae rege ad Auguſtum Rom. Imp. miſſis differens ait lib. 15. *Eſſe autem dona Mercurium a puero brachia ab humeris exertum, quem nos vidimus*. Itaque Mercurii cultus ante aeram vulgarem in India obtinebat. Vide etiam in libro *Aſiatick reſearches*, diſſerrat: D. Chambers pag. 159. & ſeq. *It is plain that the Worship of Buddou* (Budha) *in particular, has been from remotes times a very eminent partof that Religion* (nempe Ceylanenſium, Siamenſium & Peguanorum). Mantegazza Barnabita Miſſ. Peguanus, *in cod. mſſ.* muſei Borgiani in praefatione ad dialogum inter unum *Khien* hominem silveſtrem & unum Siamenſem *Extalapoinum*, in margine ait: *Samana* (corruptum a Samſcrdamico Samanaſa, *genius*) *o Somonácodom è chiamato da Siameſi* (Godama) *Codám, e speſſo Kiack - Codam dai Peguani, Godamá dai Barmani, Butta o Bouddài Tibetani, ed in Ceilano, Fò dal Cineſi, e Xaca o Sciaca dai Giaponeſi*. Obſerv. préliminaires ſur l' Ezourvedam pag. 48. *Le plus célébre & le plus ancien des Samanéens fut ſans doute Bouttà ou Búdda. Ses diſciples l'honorerent come un dieu, & lui attribuerent une naiſſance miraculeuſe. Une Vierge le mit au monde par le côté* (nempe dea Maya virgo). En quomodo fabulae Indicae imperitos ludant! Budhae ſeu Mercurii geneſim & mythologiam ignorantes eum Samanaeorum magiſtrum & deum con-

conſtituunt, cum tamen Budha numen allegoricum, non ſolum Samanaeorum, ſed etiam omnium gentium ſit magiſter ficti tius. Confer etiam Alphabet. Tibetanum, in quo auctor paſſim multis, ſed vanis argumentis evincere adlaborat, Budham *Manetem* haereſiarcham eſſe, ac libros ſuos in Tibetum importaſſe. Dies & anni me deficerent, ſi omnia Europaeorum ſomnia de *Budha* seu *Fò* Indico & Sinenſi numine referre vellem. Id heic paucis notaſſe ſufficiat, Indos codices aliquos Budhae ſeu Dhermae adſcripſiſſe, ac proinde quia aetas horum codicum hiſtoricam Indiae epocham tranſcendit, ac ad fabuloſa & heroica tempora refertur, ſequitur, eos antiquiſſimos eſſe, ita ut profecto vaniſſimum ſit anonymi obſervationum, in ſpurium librum Indicum *Ezourvedam* auctoris commentum, quo fingit, Indicos codices pleroſque ſaeculo nono conſcriptos fuiſſe.

Alter celebris codicum & ſcripturarum Indicarum auctor fictitius eſt വ്യാസ *Vyáſa*, quod vocabulum Indi boreales Bias, meridionales Viaſen, & corrupte Biache, vel Viaſſen ſcribunt. R. P. Marcus a Tumba in cod. mſſ. *pag.* 198., exiſtimat Bias richi Biantem illum unum ex ſeptem Graeciae ſapientibus eſſe. Verum P. Marcus, qui ubique ex fabulis indicis res hiſtoricas extrudere adlaborat, heic manifeſte luditur. *Vyáſa* corruptio eſt ex vocabulo Samſcrdamico അഭ്യാസഃ *abhyáſa* perſona diligens, അഭ്യാസനം abhyáſanam *ſtudium*, *diligentia*, *exercitatio*, & Malabarice അഭ്യസിക്കുന്നു Abhiaſikunu, *ſtudere*, *exercitare*, induſtrium eſſe, *labori non parcere*, luſitanice *aprender*, *acoſtumarſe*. Abhyáſa itaque perſona conficta eſt & allegorica, cui Indi ob continuum ſtudium & ſcribendi induſtriam ac diligentiam ſuas primaevas ſcripturas, poemata & codices adſcribunt. Quicumque ingentem illam multitudinem atque extenſionem Indicorum librorum, quos Indi *Vyaſae* poenitenti & contemplatori ſuo adſcribunt, conſpexerit, ſane illico arguet, plane impoſſibile eſſe, ut una vera & phyſica humana perſona

 tot

tot codices ſcribere, dictare, aut componere poſſit. Adde his, Indos in poemate വെദവ്യാസൊല്ഭവം *Veda Vyáſulbhavam*, ſeu de nativitate & origine ſcriptoris Vyáſa inſcripto, docere, perſonam hanc allegoricam, & hunc ſcriptorem ipſum deum Viſnu eſſe. Confer librum *Aſiatick reſearch* § de litteratura Indorum. വെദവ്യാസൻ Vedavyáſa ſeu rectius ſecundum Samſcrdamicam etymologiam വെദഭ്യാസൻ Vedabyáſa vel Vedarishi, diligens, exercitatus legis ſcriptor ſeu legis auctor eſt, perſona nempe ſuppoſititia & conficta pro vera, phiſica, & hiſtorica. Quare quemadmodum വിശ്വകൎമ്മ Vishvakarma, *univerſalis artifex*, qui una nocte omnes Indicas urbes, delubra & ſtatuas ſculpſiſſe, ac aedificaſſe fingitur, perſona ſeu deus fictitius eſt, vocabulo ſignificativo & vero perſonae non verae neque exiſtenti afficto, ita Vyáſa ſeu Abhyáſa numen, auctor, ſcriptor plane fictitius & allegoricus eſt. Huius aetatem Indi ante diluvium referant eſt neceſſe, nam libros vedam, quorum hic auctor eſſe dicitur, diluvii univerſalis tempore ab *Iranya* gigante daemonum principe ſurreptos, in mare proiectos, & a *Viſhnu* deo incarnato exſtractos ſervatoſque fuiſſe fabulantur. Vide tab. IX. *6. in Syſtemate Brahmanico.*

Igitur iterum caſtigandus eſt auctor obſervationum praeliminarium in librum *Ezourvedam*, qui ſomnia D. Holwell, Dow & Halhed ſecutus, Vyáſa ſeu *Biache* verum ſcriptorem fuiſſe autumat, neque intelligere vult, ſuppoſititium librum *l' Ezourvédam* inſcriptum, centonem eſſe ab Europaeo homine linguae & allegoriarum Indicarum imperitiſſimo conſutum, in quo ſub ficta perſona *Biache* & *Chumontou* ludit, ac gentiliſmum Indicum evertere nititur. Praetereo hic alios auctores fictitios codicum Indicorum. Recentiores libri plerique nomina verorum ſuorum auctorum in fine libri praeſeferre ſolent. Tales ſunt in Malabaria *Ponetti Namburi*, ſeu Brahman, *Govindaſuámi* Brahman, *Kugnen Nambiar*, *Cumari* Nayer, aliique, qui veri auctores & cogniti, vehementiſſimae coniecturae locum dant, veteres

teres quoque codices a Brahmanibus & Samanaeis conſcriptos fuiſſe, & quidem librum *Mágha* ab aliquo Brahmane Vishnuvita, librum de laudibus *Shiva dei & Lingam* ab aliquo Shivenita, alios ab aliis, prout nempe uni alterive philoſophico ſiſtemati, uni alterive deo vel deae devotiores & addictiores erant. Inde evenit, ut aliqui Indici libri unum deum prae alio extollant, ſibi invicem contradicant, ſubinde totum uni deo, alteri nihil attribuant, aut tres illos principes deos inter ſe confundant. Quare in tanta rerum asperitate & confuſione ſemper claſſici libri praeferendi ſunt, id eſt illi, quos omnes Brahmanes pro veris, ſinceris, et veteribus agnoſcunt, quibusve ipſi utuntur, non autem illi, qui vulgi manibus circumferuntur. Quisquis igitur ſanae mentis eſt, pulſa et contempta inepta D. Halhed, Dowii, Holwelli loquacitate, qua Indicos codices ad remotiſſimam antiquitatem ſine ullo prorſus diſcrimine reiiciunt, caute et diligenter animadvertat, pleroſque veteres codices Indicos a philoſophis Samanaeis compoſitos fuiſſe, neque ultra Homeri et Onomacriti aetatem reiici poſſe. *Primo* enim codices Indico-Samſcrdamici, ſi recte intelligantur, cum veterum Graecorum et Aegyptiorum doctrina conveniunt, id quod ſupra vidimus. *Secundo*, ſcholae Brahmanicae ſeu Samanaeicae progreſſus ultra ſexcentos annos ante Chriſti nativitatem vix reiici poteſt, libri enim et ſchola haec gentem Indicamlitteris et artibus excultam ſupponit, ea autem cum multa Indiae regna inter ſe diſtincta incoluerit, pedetentim perpoliri debuit, cum non Nini, non Semiramidis armis, utpote quae ab Indis ad flumen Indum excuſſa, & contrita fuiſſe Nino & Semiramide fugitivis Diodorus ſcribit, ſed propriae philoſophiae ſtudio & virtutum exercitatione exculta fuerit. *Tertio*, ante Pythagorae, Anacharſidis, Alexandri M., Democriti itinera vix aliquid de Indica gente & philoſophia reliquis gentibus innotuit, itinera autem Pythagorae & Anacharſidis, quae philoſophiae ſtudium in Perſia, India & Scythia viguiſſe indicant, ultra quingentos ante Chriſtum annos referri nequeunt. Euphrates philoſophus ex Philoſtrato apud Photium bibl. §. 241. pag. 1014. *Multo ſapientiores eſſe Indos Brahmanas Gymnoſophiſtis Aethiopiae dixit*.

Vivere

Vivere ait nudos illos ſub dio , incolere montem egregie a natura formatum , parum a Nili ripis diſtantem. Et infra : *ad oceanum Aethiopiae, quo ſolum vi tempeſtatis delati inviti traiiciunt*. Videtur ergo olim inter Indicos & Aethiopicos gymnoſophiſtas communicatio aliqua interceſſiſſe. *Quarto*, Samanaeorum ſcholae codices ſuos adſcribere videntur ipſi Indi in libro *Sambhavam* ſeu Puránam, ubi in libro *Ramáyana*, qui unus fabuloſae Indicae hiſtoriae tomus eſt, ita legitur: *In libris omnes taciturni verae ſapientiae ſemina legebant, de vera ſapientia & iuſtitia inter ſe conferebant. Nocte in quatuor Yámam* (id eſt in quatuor vigilias) *diſtributa, ex ordine vigilabant, meditantes quae vera caeli via etc.* Haec autem cum iis , quae liber *Amariſinha* de philoſophicis his vigiliis, ſtudiis , exercitationibus *ſect. Brahmavarggam* tradit , conveniunt , & his adſtipulatur etiam Porphyrius *lib.* 4. *de abſtinentia* ex Babylonio Bardeſane, cuius aetate in Brahmanica ſchola haec adhuc ſervabantur. Vide *Euſeb. praep. Evang. lib.6. pag.* 275. *edit. Col.* Ioſeph. *de bello Iud. lib.* 7. *pag.* 867., & iterum *Bardeſ. apud Euſeb. praep. Evang. lib.* 5., Ribeiro, *Hiſt. Ceylan. pag.* 113. *Quinto*, codices Indicos Brahmanibus & Yoguis seu Samanaeis veteribus adſcribunt Perſae, Arabes, Peguani, Tibetani. D'Herbelot *Bibliotheque Orientale*, à Paris 1697. pag. 197. *Behergir, nom d'un Bracchman ou Bramen des Indes de la ſecte que l'on appelle Gioghis* (Yogui), *c'eſtà é dire, religieux ou pennitent. Ce fut lui, qui apporta des Indes aux Muſulmans, dont il embraſſa la religion*, l'Anbertkend, *livre qui continet tous les dogmes de la religion des Indes*. Et pag. 206. *Bidpai* (fortaſſis *Vidvan*, nomen genericum philoſophorum Indicorum) *philoſophe Indien Vizir de Dabſchelim ancien Roy des Indes, eſt auteur du teſtament de Huſchenk ſecond Roy de Perſe de la premiere dynaſtie. Ce livre qui a changé piuſieurs fois de nom, eſt le méme que Giavidan Khird; Homaioun Namé, Kalilah ve Damnah, & Auvar Shoaili*. Vide haec nomina in ipſo D'Herbelot, atque ſi vel modice linguae Samſcrdamicae peritus es, palam et aperte cognoſces, inſcriptiones horum librorum partim Samſcrdamicas, partim ex iis corruptas eſſe, ac denique cumprimis librum *Homaioun* de Rakashſa, ſeu *gigantibus*, de Ráma ſeu *Baccho* iuniore , de Mahé-

héſhvara ſeu *Shiva Indico deo* multas fabulas referre (1). Ita quoque per *Budha goſámi* Indicum ſamanaeum libros Indicos in regnum *Ava & Pegu*, per *Samthapútra* in regnum *Tibet* primis aerae chriſtianae ſaeculis perlatos fuiſſe, iam ſupra meminimus. Unde D'Anville loquens de flumine Indico Brahmaputra in *geographia veteri tom. 2. pag.* 350. *ait. Brahmaputra deſcend des confins du domaine du Dalaï Lama .... une contrée intermédiaire de la Serique & de l' Inde, eſt tenue par des Brachmanes .... Les Lamas qui par leurs dogmes & leur inſtitut ſont une vraie ſecte des Brahmanes*. Hoc nos perſpicuis argumentis docuimus in grammatica Samſcrdamica *pag.* 33. 34. 47. 55. *& ſeq.* Confer Strahlenberg *Deſcription hiſtorique de l' empire Ruſſien*, *tom.* 2. *pag.* 169. 170. *& ſeq.* (2) His omnibus inſpectis jam nullus datur du-

bio

(1) D'Herbelot haec nomina Indica ex corruptione Perſica, & Arabica, in quas linguas liber *Homaioun* etiam auctoritate regum Perſarum & Kalifarum ſaepe converſus fuit, ſcribit *Rakbſcbe* pro Ràksháſa, *Ramac* pro Ráma, *Mabiſer* pro Mahéſhvará. Hoc igitur modo Indici codices, vocabula, & dogmata ad Perſas & Arabes perlata ibidem vitiata fuere. Liber *Giavidan Kbird* Indicus ſaepe in Perſicam linguam verſus eamdem corruptionis vicem ſubiit. Eius pars anno 1644. a *David Said ab Aspaban* in idioma Gallicum converſa Pariſiis typis vulgata fuit. Vide D'Herbelot ſub voce *Giavidan Kbird* & *Homaioun Namè*, pag. 464. 465. 400. 456. 114.

(2) Ne D. d'Hancarville, aliique ſcythicarum rerum patroni ac defenſores ſibi adblandiantur, atque ſive Bacchi Indici, ſive Mercurii ſeu Budhae Indici religionem, fabulas & allegorias ex Scythia in Indiam delatas fuiſſe vano commento fingant, aequo animo perlegant ea quae de Scythis aut Tartaris tradit acris iudicii vir *Baro de Strablenberg*, qui cum erudito viro Meſſerſumidio ipſe illas terras perluſtraverat & gentes illas intento animo examinaverat. Is itaque in libro inſcripto: *Deſcription hiſtorique de l empire Ruſſien*, Amſtel 1757. *tom.* II. *pag.* 169. ita diſſerit: *Les calmucs ont communement une petite idole á trois têtes* (Trimúrti fortaſſis Indicum) *qu' ils pendent a leur col. Cette idole eſt faite de terre ſigillée, ou de quelque metal, & ils vont la chercher dans le Tibet* (quo ex India liturgicas Indorum preces, libros, & religionem Indicam perlatam fuiſſe nos alibi demonſtravimus), *ou le Dalai Lama leur grand Pretre les diſtribue*. Et pag. 170. *Les calmucs ont auſſi une autre Idole appellé* Xacamuni, *qui paroit être le* Xaca *des Bonzes Indiens & Iapponnois. Ils prétendent que le* Xacamuni *a regné dans les Indes il ya* 4000. *ans, & qu' á cauſe de ſa Sainteté il eſt monté vivant au Ciel ... l' un de ces fils nommé* Arend-ſur *transporta la foi des Indes dans le Tibet, & la tranſmit ainſi au Dalai lama, celuici avoit un Vicaire ou* Kutuchta *chez les Mongales, mais il s'eſt rendu indépendant*. En itaque quomodo hae gentes originem Budhae eiusque religionem Indicae telluri adſcribant. Tibetani Budham in urbe *Benares* Indica, Sinenſes in regno Indico *Casbemir* natum fuiſſe fabulantur. Vide *Alphabet. Tibetanum*. Cum libris itaque & fabulis Indicis Budhae ſeu Mercurii cultus in Tibetum, in Scythiam, in Sinas penetravit. *Sbakya* vocabulum eſt Samſcrdamicum

in

bio locus de veteri Indorum litteratura, verumque eſt, quod aſſeruimus, veteres nempe Indicos codices antiquis Samanaeis, quorum ſucceſſores ſunt hodierni *Togui* vel *Gosámi*, adſcribendos eſſe, quamvis ipſi illos codices Bud ae, Ganéshae, Vyásae, Brahmae, Kálidáſae, Saraſuadi, aliiſque Indicis diis et deabus attribuant. Confer in libro *Aſiatick reſearches* §. 18. pag. 340. et ſeq. *On the literature of the Hindus*, *from the Samſcrit*. Et cod. mſſ. R. P. Marci a Tumba in fol. in Muſeo Borgiano pag. 193. *Dei libri più communi di queſti Gentili dell' Indoſtano*.

Sextum et ultimum indicium genuini codicis Jndici eſt, ſi in ſua doctrina tradenda chronologia deorum fabuloſa utatur; ſi doctrina illa cum Indicis ſtatuis, figuris, ſymbolis, templis, religione, fabulis conveniat; ſi vocabulis utatur in libro *Amaraſinha* deſcriptis, ſi codex eſt ſtylo chalybeo in foliis palmarum exaratus, aut ex rudi charta et coctae oryzae aqua *cángi* dicta confectus et perpolitus; ſi hic idem codex a Perſis vel Arabibus non fuit verſus; ſi ex loco aliquo ſacro, delubro vel

in Vocabulario Amaraſinha Mercurio adſcriptum, qnod ſignificat *Avanturiere*. Muni eſt *monachus*, *ſilentiarius*, *contemplator*, quales omnes planetas ſuiſſe fingunt Indi. *Shakyamuni* itaque eſt monachus ſeu planeta, genius Mercurii planetae rector, *nuntius*, *ephemerides* portans, Italice *Avanturiere*, *Gazetiſta*, quia nempe *Mercurius nuntius deorum eſt*, & omnium ſucceſſuum, novitatum, ſortium, bonae malaeve ſurtunae genius praeſes, indagator, doloſus, fraudulentus, eloquens, deceptor, fur, variis artibus homines decipiens, unde *Máyae* deae filius eſſe dicitur, seu *Máya* illuſſionis, imaginationis & ſenſum illuſionis dea mater illius eſſe fingitur. Ex profunda horum vocabulorum Samſcrdamicorum ſignificationis ignorantia omnis illa rerum confuſio de Budha ſeu Shakyamuni *Mercurio* apud Orientales orta fuit. Fourmont, Allix, Whiſton, Bedford, Shuckford Budha Indicum ſeu Fouhi Sinenſem *Noe* Patriarcham eſſe perquam liberalitet comminiſcuntur, D. Court de Gebelin Mercurium perſonam phyſicam & hiſtoricam, eamque ſimul allegoricam, denlque aſtronomiae inventorem ſuiſſe contendit. Paulus Iablonskius allegoricum numen eſſe ait, & recte quidem. Vide ſiſtema Brahmanicnm *pag.* 155 *& ſeq.*, librum inſcriptnm, *Recberebes ſur l'époquede l'équitation e de l'uſage de chars équeſtres part.*1.*pag.*118. *ſub nota* (4)., Allégories Orientales, *ou le fragment de Sanchoniaton, qui contient l'hiſtoire de Saturne, de Mercure, & d'Hercule* par Mr Court de Gebelin. à Paris 1773. *pag.* 100. *& ſeq.* Confer etiam hiſtoriam originis Budhae Indici ex libro Indico *Budhapuránam* apud R. P. Marcum a Tumba *in Cod. mſſ.* in Muſeo Borgiano exſtante pag. 182. *Nona incarnazione di Biſnu in Baodda* (Budha) *Dio muto*, ubi deae *Máyádévi* ſeu *Máyae deae*, quae eſt Párvadi ſeu Maya magna omnium rerum mater, filius eſſe dicitur. Denique lectis his omnibus vide Plutarchum *de Iſide*, & facile conlicies, Indicum Budha cum Mercurio Aegyptio & Graeco ex aequo convenite.

vel ſchola exſtractus, aut a Brahmane aliquo acceptus, qui codicem hunc ipſe legerit, aut eo uſus fuerit. Horum indiciorum ratio iam ex ſupradictis patet, et dum haec indicia omnia concurrunt, urgens motivum et ratio adeſt, credendi, codicem illum verum ac ſincerum Indicum librum eſſe. E. G.

EXEMPLUM PRIMUM

Codex Barmanus num. 2. in Muſeo Borgiano Velitris exſtans, et *Pádimaukhá* inſcriptus genuinus Indico-Peguanus liber eſt. *Primo*, quia in foliis palmarum, quorum uſus in regno Ava et Pegu obtinet, ſtilo chalybeo exaratus eſt. *Secundo*, ab aliquo Peguano amanuenſi ex Talapoinorum codicibus tranſumptus in Muſeum Borgianum illatus fuit. *Tertio*, in tradenda ſua doctrina lingua *Pali*, quae Samſcrdamicae filia eſt, utitur. *Quarto*, quia in fronte libri invocationem ſeu adorationis formulam cum *Namò Bhagava* ſeu adoratio Mercurio, Shivae, aut Vishnu deo, praeſefert. *Quinto*, quia amanuenſis in fine libri more Aſiatico annum & menſem notat, quo liber ad extremam uſque calcem perductus fuit. *Nell' ultimo il copiſta ha notato, ſecondo il coſtume, il giorno, il meſe, e l' anno nel' quale ha finito di tranſcrivere queſto* Padí - Maukha : *cio è il Venerdì del ſecondo giorno di luna nuova del meſe Vagáun* (tra Luglio ed Agoſto) *del* 1132. *dell' era Barmana volgare, cio è del* 1769. *della noſtra era*. Vide in eodem Muſeo, *Oſſervazioni ſopra i due libri Barmani in foglie d' arbori ſegnati n.*1. *e n.* 2.. *Sexto*, quia liber hic conſtitutiones & regulas continet, quibus adſtricti Talapoini in publico & privato vivere & comparere tenentur. Delubrum everrendi, ſe ſe luſtrandi, lucernam in templo accendendi, ab animalium contactu cavendi, (1) ea non occidendi, peccata ſua in novilunio invicem confitendi, certis temporibus ieiunandi normam praeſcribit, quae quidem omnia non ſolum Talapoinorum, ſed veterum & hodiernorum Indicorum

F Sama-

(1) *Sunt in India gymnoſophiſtae, qui opera improbitatis non patrant, neque animatium corporibus veſcuntur* Moſes Chorenenſis, *Geographiae pag.* 366. Londini 1736. Et Porphyrius lib. 4. de abſt. *Ex oryza & pane, & pomis, & oleribus victus apparatur, ad tintinnabuli ſignum preces effundunt, omnes absque uxore* (ut hodierni Yogui) *& poſſeſſionibus degunt*. Cenſor noſter Paedagogico faſtu diſſentus dicat, an hi gymnoſophiſtae Valentiniani haeretici erant ?

Digitized by Google

Samanaeorum officia & exercitationes ſunt, quibus ipſi ex inſtituto ſuo devinciuntur. *Septimo*, hic idem liber non eſt diviſus in capita, paragraphos, aut ſectiones, ſed in *Engá*, hoc eſt in duodecim folia, quibus ſuccedunt alia duodecim, & ſic conſequenter pro materiae diverſitate. Confer de officiis & inſtituto Samanaeorum & Talapoinorum *Syſtema Brahmanicum* in quo haec accuratius digeſſimus pag. 50. *de quatuor praecipuis Brahmanicis inſtitutis, & cumprimis de Samanaeis*, & pag. 115. 116. *de Talapoinis*.

EXEMPLUM SECUNDUM

Liber *l' Ezourvedam* inſcriptus, qui anno 1778. in *Yverdon* ex officina D. *De Felice* Gallico ſermone prodiit, atque hanc epigraphem praeſefert: *l' Ezourvédam ou ancien commentaire du Védam traduit du Samſcretan par un Brame. 2. vol.*, non eſt ſincerus Indicus codex, ſed liber ſpurius, ſuppoſititius, & contemnendus. *Primo*, liber ille ex lingua Samſcrdamica in linguam Gallicam per quemdam Brahmanem templi *Chiringam* cuſtodem verſus fuiſſe perhibetur a *D.* Voltaire linguae Samſcrdamicae viro imperitiſſimo & teſte in hac re prorſus inepto. Is librum illum a D. *de Modave* militari viro accepit, ac anno 1761. tamquam genuinum Indicum opuſculum bibliothecae regiae obtruſit. Sed nec D. *de Modave*, nec D. *Barthelemy* Pondicerenſis ſynedrii ſocius, a quo librum D. *de Modave* acceptum Voltairo tradidit, idioma Samſcrdamicum calluit. Fabella itaque eſt inficeta, quae narrat librum in ſuo exordio Samſcrdamicum fuiſſe, quando neuter virorum horum quid inter linguam vulgarem Tamulicam & ſacram Samſcrdamicam intercedat, diſtinguere ſciebat, unde originaliter liber ille provenerat, ignorabat, neque librum a Brahmane, cui D.Voltaire verſionem adſcribit, acceperat, ſed ex ſchaedis quibuſdam produxerat. Vide Préface de l'Editeur *pag.* 8. 9. *tom.* 1. *Secundo*, non minus abſurdum eſt dicere, librum illum a Brahmane Archipresbytero templi *Chiringam* compoſitum, ac in idioma Gallicum verſum fuiſſe, nam nullatenus conſtat Brahmanem illum idioma Samſcrdamicum calluiſſe, & futilis praeſumptio eſt a Voltairo conficta, eumdem Brahmanem idiomatis Gallici peritum fuiſſe,

nam

nam Brahmanes ſacrificuli aut magiſtri templorum famulitio addicti nullatenus cum Eurepaeis communicant, libros ſuos caute celant, minus in idioma Gallicum vertunt, Europaeos abominantur, aut ſi poſſunt, fallunt. R. P. Marcus a Tumba Cappuccinus Miſſionarius Indicus in codice manuſcripto, *Oſſervazioni ſopra le relazioni che fa Monſieur Holwell Ingleſe &c.* inſcripto, in quo huius angli ineptias perſtringit, *pag.* 5. protulit duo inſignia Brahmanicae falſitatis & odii erga Europaeos argumenta. Brahmanes aliqui ſeptentrionales dum a chriſtianis Moſis & Ieſu Chriſti hiſtoriam ex canonicis chriſtianorum libris audiviſſent, ne miraculorum ab utroque patratorum copia & varietas narrata credulos gentilium animos percelleret, librum compoſuerunt ſub titulo *Azret hisù* & *Azret muſa*, ſeu hiſtoriam Moſis & Ieſu Chriſti, nominibus aſſumtis ex idiomate Perſico, atque duas iſtas hiſtorias fabellis repleverunt, quae non ſolum in religionem chriſtianam riſum moverent, ſed etiam gentiles ab ea amplectenda prohiberent. E. G. Moſem & Jeſum Chriſtum duos fratres ingenio pares, ſed opinione & religione ſibi adverſos, coaevos, invicem pugnantes, diſputantes, pro ſua religione ſtabilienda multa praelia gerentes deſcribunt, tandem facta clade Moſaicorum aſſeclarum Chriſtum victorem evaſiſſe narrant. Lamae Tibetani anno Chriſti 1744. in Tibeto Miſſionarios & chriſtianos iniquo animo ferentes, capta occaſione ex uno chriſtiano magnum Lamam adorare renitente, librum contra chriſtianos ac Tibeti Miſſionarios compoſuerunt, quem multis praedictionibus ſiniſtris refertum in vulgus emiſerunt. Mala regni praeterita, praeſentia, & futura unius ſectae chriſtianae felici propagini adſcripta referebantur, lemma, capita libri, circumſtantiae temporis notabantur & oſtendebantur, vulgus a Lamis in ultionem incitabatur, & pluſquam mille linguae, pluſquam mille ora contra chriſtianos clamabant adeo vehementer, ut univerſalem perſecutionem excirent, in qua Miſſionarii & chriſtiani ad fugam coacti fuerunt, & Cappuccini tunc temporis Miſſionem Tibetanam amiſerunt; quae ad haec uſque tempora reſtabiliri haud potuit. Cauſſam, ipſamque perſecutionem hanc R. P. Marcus in duobus codicibus muſei Bor-

giani deſcribit , eiuſque plures alii Miſſionarii meminerunt . Dantur ergo in India & Tibeto libri recentes, maligni , ſuppoſititii , fallaces , & caute procedendum eſt in eorum delectu , lectione , adoptione . Deinde ex his etiam elucet , Brahmanes Indos & Lamas Tibetanos Europaeorum amicos non eſſe , ac proinde codices illos quos ab illis accipiúnt acri criterio & examini ſubiiciendos eſſe. Quamvis itaque liber falſo *Ezourvedam* inſcriptus a Brahmane Indo domino *Barthelemy* datus fuiſſet, quod omnino falſum eſt, adhuc tamen ingens dubium remaneret de authenticitate libri . Quis igitur non rideat nugatorem Voltaire eiuſque ſocios , qui nobis naenias, & ineptias pro veris Indicis libris obtrudunt ? Quis cachinnis non excipiat ampulloſa noſtri philoſophi verba, & nugas ſonoras, quas nobis venditat ? *Tertio*, liber l' Ezourvedam originaliter fuit lingua Tamulica ſcriptus, igitur falſum eſt , eum ex ſermone Samſcrdamico in Gallicum fuiſſe verſum. Aſſertio patet ex vocabulis *Biache* , *Chumontou* , *Crlxnen* , *Chvarguam* , *Zomboudipo* , & centum aliis, qnae in lingua *vulgari* Tamulica vitiata , corrupta , & truncata fuerunt. V. g. Tamulici carent littera வ *v*. quae littera eſt Samſcrdamica . Huic litterae auctor Tamulicus ſubſtituit litteram *b*., atque more Tamulico ſcribit *Cbib*, cum genuini Samſcrdamici codices habeant *Shiva*, vel more pronuntiationis Gallicae *Chiva* . Ita reliqua vocabula mirum quantum fuere vitiata, ſcribique debent *Krhsna* , *ſuargga*, *gembudiba*. Vide grammaticam Samſcrdamicam *pag*. 40. & grammaticam Tamulicam R.P. Beſchi typis Miſſionis Trangambaricae *pag*. 30. Quarto, *Yagiurvedam* , quod alii corrupte ſcribunt Zozur-ved, Ezourvédam, Djegervedam, D. Holwell inepte Bhade, & P. Marcus a Tumba Giagiur Bed, ſecundum editorem libri Ezourvedam obſerv. praelim. pag. 117. eſt *ſcientia rituum*, continens exercitationes religioſas, modum ieiunandi, feſta celebrandi, luſtrandi, peccata victimis , ſacrificiis & peregrinationibus expiandi, delubra conſtruendi . Candidus Lector iam nunc librum *l'Ezourvedam* inſcriptum inſpiciat, & quamvis ſit linguarum orientalium imperitus , diiudicet , an lemma

libri

Digitized by Google

libri, nempe *Ezourvédam*, reliquo operi correſpondeat; diiudicet, an liber ille ſcientiam rituum tradat, an ſacrificia, feſta, peregrinationes deſcribat, an templa conſtruendi normam doceat, an liber ſit ritualis ſacrificiorum formam & praecepta continens. *Quinto*, liber Ezourvédam carpit Brahmanica dogmata, perſtringit gentilicas ſuperſtitiones, evertit cultum Dei Krshna, & ſacrificia gentilium antiquiſſima, irridet ſymbolum lingam generantis naturae emblema, confutat dogma tranſmigrationis animarum in India a remotiſſimo tempore receptum, deos Indicos omnes daemonas eſſe ait, cum tamen vera ſint caeleſtium & naturalium rerum ſymbola. Ergo liber praedictus non eſt codex Brahmanicus, Indicus & gentilis; qui enim fieri poteſt, ut gentilis auctor fundamenta gentilicae religionis omnia evertere ſtudeat, atque ad unam & ſolam veri Dei agnitionem lectores traducere adlaboret? Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 315. ubi de hoc libro iam egimus. *Sexto*, librum Ezourvedam inſcriptum a chriſtiano quodam lingua Tamulica conſcriptum fuiſſe ſuſpicantur ipſi huius libri editores. Vide p. 185. tom. 2. ſub ſigno (a). *Il paroît ſur-tout ici, que l'auteur a eu connoiſſance du chriſtianiſme*. *Septimo*, librum l'Ezourvedam partum eſſe cuiuſdam Miſſionarii in Mazulipatam lingua Tamulica originaliter conſcriptum, diſſertis verbis fatetur Sonnerat *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 41. En illius verba: *Il faut bien ſe garder de mettre au nombre des livres canoniques Indiens l'Ezourvédam, dont nous avons la prétendue traduction à la bibliotheque du Roi, & qui a été imprimée en* 1778. *Ce n'eſt bien certainement pas l'un des quatre Vedams, quoiqu'il en porte le nom; mais plutot un livre de controverſe ecrit à Maſulipatam par un Miſſionaire .... C'eſt donc à tort que M. de Voltaire, & quelques autres donnent à ce livre une importance qu'il ne mérite pas*. Sonnerat vero ipſe oram Coromandelicam circumivit, pluribus annis in urbe Pondiceri verſatus eſt, & quamvis & ipſe linguae Tamulicae & Samſcrdamicae imperitus fuerit, attamen hac in re idoneus teſtis eſt, quia traditionem Indicam in loco hauſtam refert. Ceterum, qui librum Ezourvédam inſcriptum rite perlegerit, facile conveniet, libri auctorem nihil aliud eniti, quam ut ſub variis

pig-

Digitized by Google

pigmentis religionem gentilicam diſſuadeat, convellat, ac lectorem ad unius Dei cultum traducat. Librum autem Ezourvedam more & nomine Indico inſcripſit, ut ſub falſo & ſuppoſititio titulo a gentilibus avidius legeretur. *Octavo*, denique liber hic adorationis formulis gentilitiis, de quibus ſupra, deſtituitur, per ſententias ſeu *Slogam* ſcriptus non eſt, Brahmanibus incognitus fuit, ex ſchola eorum non exivit, auctoris nomen non praeſefert. Liber ergo eſt ſuppoſititius, ſpurius, & contemnendus. Haec argumenta, & examinis forma etiam inſerviunt ad examinandam verſionem libri *Bagavadam* a Marida poulla viro quidem indigena Indo ſed non Brahmane, ſacrum idioma non callente factam. Rite diſcuſſa ea verſione liquido conſtabit librum ex lingua Tamulica in Gallicam verſum fuiſſe, interpretis, libri, gentilitiae Tamulicae pronuntiationis, ortographiae, nominum corruptionis vitiis ſcatere, ac caute legendum eſſe. Verum quamvis liber Bhágavadam a Marida poulla verſus corruptae interpretationis vitia habeat, liber tamen ille in ſe canonicus eſt, & ſummae inter Indos auctoritatis. Nullius autem valoris ſunt fabulae ſonorae, argumenta inflata, ſententiae ampulloſae, nugae & pigmenta Indica, quae in ſuis libris affert D. Holwell, Dow, Halhed. വെദഃ Veda, quod Malabárica gentilitia lingua ſcribitur വെദം *Védam*, Indoſtana ſeptentrionali बेद *bed*, non eſt liber materialis Indicus, ſeu codex aliquis ſacer, quod Samſcrdamicae linguae imperiti, ac multi nugigeruli viatores Indici magna vocis contentione pronuntiant. Vedam, non autem Bedom, Veidam, Bhade, Bedy, quae corruptiones ſunt in dialectis ex materna Samſcrdamica lingua promanantibus, eſt *doctrina*, *lex*, *miſterium*, *praeceptum* ad religionem pertinens aut eam docens. Vide Dictionarium R. P. Hanxleden, R. P. Biſcoping, & excell. D. Archiepiſcopi Cranganorenſis Pimenteli ſub voce *Vedam*. Vide etiam cod. manuſcriptum R. P. Marci a Tumba *Oſſervazioni &c.* p.8.9. Vocabularium Brahmanicum Amaraſinha ſect. ശബ്ദാദിവർഗ്ഗം *Shab-*

Shabdádi vargam ita definit vocabulum Veda : ശ്രുതിഃ *shrudi* fama , rumor , ſonus , quo nempe doctrina , lex , religio annuntiatur . വേദഃ *Veda* , lex , doctrina , miſterium , praeceptum ad religionem pertinens . ത്രയീ *traj* , trina , terna , ſeu tria complectens . Deinde ſtatim ſubiungit : ഋക് irka ſeu *irucha* , സാമ *ſama* , quod vocabulum Tamulici , quia littera സ s. Samſcrdamica carent , ſcribunt littera ശ *sh* , vel gallico *ch* , unde coaleſcit *Chamavedam* corrupte pro *Sàmavedam* . യജു yagiu , ore Italico prolatum . Huic ultimo vocabulo ſi vocem *Veda* ſeu *Vedam* adiungas , more in lingua Samſcrdamica uſitato interponenda eſt littera *r* , eritque tunc *yagiu-r-vedam* . Ircha ſeu irucha prima illa dictio ſignificat in genere legem , doctrinam contemplandi , nempe primam cauſſam , creationem , formationem mundi , animarum ſtatum & tranſmigrationem , angelos , aſtra , ſidera errantia , ſolem , lunam , reliquos planetas , eorum actionem , influxum , generationem & corruptionem , vitio reſervatas poenas & virtuti proemia &c. Inde deſcendit dictio ഋഷി *irshi* , ſeu gallico more ſcriptum irchi , aut rishi vel irushi , quod idem eſt ac *Muni* , heſychaſta , ſilentiarius , in ſilentio contemplans , homo poenitens & ſanctus inter gentiles , & metaphorice planeta contemplator in caelo , in quo planetas , utpote divinis animatos mentibus , ſolem maximum deum contemplari & venerari gentiles fingunt , dum illi circa ſolem revolvuntur ; id quod de aſtris etiam credidere Phoenices . Denique സാമ *Sàma* ſignificat virtutem ſeu lenitatem , gratiam , affabilitatem , quae ex virtutum exercitatione , ac paſſionum mortificatione naſcitur , & haec ſecunda lex , ſeu doctrina dicitur . Tertia eſt യജു *yagiu* , atque dictio haec ritum denotat ſacrificium *yagam* , quod ſoli primo Indico deo offertur ,

tur, perficiendi. Inde derivat dictio യജമാനൻ *yagiaman* vel *yagiamanen* ſacrificulus, praeſes, qui ſacrificium *yagam* perfecit. Verum in communi & vulgari ſenſu vocabulum hoc ſonat *ſcientiam rituum*, ſacrificiorum, ieiuniorum, luſtrationum, quae nempe per ſacrificia, hoſtias, luſtrationes, & peregrinationes fieri ſolent. De ſolis his tribus legibus in vocabulario Amaraſinha utpote codice Brahmanico vetuſtiſſimo mentio fit, nam quarta lex, quam nonnulli *Adarvavédam* vocant, circa repartitionem Indicae gentis in tribus, circa functiones, arteſque earum verſatur, ac poſt illas tres leges inſtituta fuit. Ex his ergo iam ſatis ſuperque patet, *Vedam* vel *Bed* non eſſe libros materiales, ſed nomina generica, quae doctrinam ad religionem Indicam pertinentem ſonant. Quare quiquid ad religionem Indicam ſpectat recte *Vedam* dici poteſt, ac proinde hoc nomine mille & amplius libri inſcribi poſſunt. Quemadmodum enim apud nos vocabulo *lex*, *doctrina*, non librum materialem accipimus, & ſub his dictionibus genericis milleni libri produci poſſunt, ita pariter quidquid legem, doctrinam religioſam, aut miſterium apud Indos ſonat, recte *Védam* dicitur. Itaque incarnationum dei Vishnu hiſtoriae & fabulae, Brahmae & Shivae dei acta, deorum genealogia, theodotia, bella gigantum & deorum, doctrina de cultu aſtrorum, naturae & elementorum, *Vedam*, *Bed*, & Graecis *Bedy* dicitur, atque hoc ſenſu accipienda ſunt verba Clementis Alex. lib. *6.* Strom. §. 243. *Iam puerorum quoque doctrina, quae verſatur in elementis, complectitur interpretationem quatuor elementorum, dicit enim Phrygas aquam vocare Bedy, ſicut etiam Orpheus.*

Καὶ βέδυ Νυμφάων Καταλείβεται
ἀγλαὸν ὕδωρ

Vide textum integrum in grammatica Samſcrdamica *pag.* 75. & in ſiſtemate Brahmanico *pag.* 281. Confer etiam R. P. Marci a Tumba *Oſſervazioni* &c. cod. mſſ. *p.* 8. 9. ſententiam D. Freret *Acad. des Inſcript.* tom. XVIII. *p.* 38. Aſiatick reſearches *tom.* 1. §. 18. *On the literature of the Hindus from the Samſcrit*. Nemini itaque mirum videri debet, ſi vocabulo *Vedam*, *Bed*, *Bedy*

dy iam a remotiſſimis temporibus a Graecis, Perſis, Indis, Tibetanis inconſtans & varia ſignificatio attributa fuit, quandoquidem nomen eſt genericum, & cui varia eaque plurima peculiaria gentilicae religionis myſteria & praecepta affingi poſſunt. Certe vedam etiam myſticum atque allegoricum nomen eſt, & librum myſticum ac allegoricum ſubinde ſonat. E. g. Quatuor vultus Brahmae dei ex quatuor oribus quatuor libros *Vedam* profuderunt & produxerunt. ഈശ്വരൻ *Ishvara* ſeu dominus, aut ſupremus Deus *Parabrahma* deo Brahmae *Vedam* dedit, qui librum Brahmanibus tradidit, quem tamen nemo umquam vidit, nemo legit. Libri *Vedam* concuſſa per diluvium univerſa natūra in mare prociderunt & ſubmerſi ſunt. Daemon *Iranya* eos a dormiente Brahma ſurripuit, in mare proiecit, Vishnu deus in piſcem incarnatus eos ex mari produxit & reſtituit. Vide *tab.* IX. b. *in ſyſtem. Brahmanico*. Haec abſque dubio allegorice ſunt intelligenda, atque perſpicue indicant, *Vedam* librum naturae, elementorum concordiam, rerum mundi concinnitatem eſſe, quam Deus in principio inſtituit & quae tempore diluvii in mare procidit, ac iterum per Vishnu deum mundi conſervatorem reſtituta fuit. Quare fatentur Brahmanes ſe librum Vedam non poſſidere. Vide Sonnerat *tom.* 2. *p.* 41. *edit. in* 8. R. P. Marcus a Tumba, qui ſeptemdecim annis in interiori India verſatus eſt, & hodiedum ibi verſatur, in *cod. mſſ* Muſei Borgiani, *Oſſervazioni &c. pag.* 8. *&* 9. ait: *Altri convengono, e queſta è l' opinione, che io ammetto per più ſicura, ragionevole e probabile, che queſti* 4. *Bed non vi ſiano mai ſtati, almeno come libri poſitivi ... Dirò di più ed ho vedute ancor io alcune traduzioni, che dicevano, eſſere di qualche* Bed, *l' ho date ad eſaminare a diverſi Bramini, ma neſſuno e convenuto, che ſiano Bed, ma piuttoſto un raccolto da diverſi libri, che alcuni mi confrontarono .... Di più io medeſimo ebbi in mano per più anni tutta la libreria del Re di* Bettia, *quale mi confidò in un attacco di guerra col Nababbo Caſmalican, che poi reſtò in caſa. ... Or queſto Re era dedito alla lettura, e ſempre aveva con ſe li più grandi dottori del paeſe, ond' è che può ſupporſi, aveſſe li*

 mi-

miglIori libri della nazione, *di fatti così era*, *ſolo mancavano li* 4. *Bed &c.* Eadem tradit auctor oper. *Pagan. Ind.* manuſc. *part.* 1. in bibliotheca regia Pariſina. *Si ces livres* (Vedam) *exiſtoient*, *ils ſeroient certainement tombés entre les mains des Miſſionaires*, *qui ont fait tout ce qu' ils ont pu pour les trouver &c.* Dum ego a docto viro *Kunhen áshan* magiſtro meo quaeſiviſſem, an libri *Védam* exſtent, is ſubridendo reſpondit: *Vedam eſt*, *quidquid ad religionem pertinet*, *Védam non ſunt libri*. Quand on les interroge aujourd' hui ſur les Vedams, ils diſent: qu' ils ſont renfermés dans un caveau a Bénares. Iamais perſonne n'a pu les voir. Sonnerat *tom.* 2. *l.* 3. *p.* 41.

His omnibus iam diſcuſſis & perſpectis, quid nunc dicemus domino Voltaire, qui nobis ſacros Indicos libros Vedam obtrudit? Quid dicendum erit de D. Holwell, Dow, Halhed, aliiſque veteratoribus & ſomnambulis, qui ex ſacris libris Vedam ſyſtemata cudunt, & anhelantes agitatis pulmonibus ſumma animi concitatione & acri ſtudio veſana ſua figmenta & ſonoras nugas credulis & imperitis Europaeis vendunt? Quid dicendum erit de P. Calmet, qui ſacros Indicos codices Vèdam, bibliothecae regiae Pariſinae ſe ſubmiſiſſe gloriatur? Quid dicemus illis viris militaribus, & humidis cymbarum vectoribus, qui vix in Indiam appellunt, vix eam oculis perluſtrant, ſtatim libros Vedam reperiunt, & eos ſe poſſidere turgido ſermone iactant?

Ales Phaſiacis petita Colchis
Atque Afrae volucres placent palato:
Quidquid quaeritur, *optimum videtur*. Petron.

Examinata iam in genere Indicorum codicum antiquitate & autenticitate nunc ad ſingulare examen ipſorum Indicorum librorum in bibliotheca S. Congregationis de Propaganda Fide exſtantium deſcendamus.

§. IV.

§. IV.

LIBRI GRAMMATICI CHARTACEI

N. I. *Sidharubam ſeu Grammatica Samſcrdamica auctore F. Paulino a S. Bartholomaeo Carmelita Diſcalceato Malabariae Miſſionario*. Ex typographia S. Congregationis anno 1790. *De* hac grammatica & lingua Samſcrdamica uberrime agitur in *diſſertatione hiſtorico critica in linguam Samſcrdamicam* huic grammaticae praefixa.

N. II. *Grammatica Grandonica*. Liber manuſcriptus in 8. Auctor eſt R. P. Iohannes Erneſtus Hanxleden e S. I. olim Malabariae Miſſionarius, qui anno 1732. 20. Martii in oppido പഴൂർ Pashur ſeu Palur obiit, & ſepultus iacet in templo Parulenſi chriſtianorum S. Thomae in Malabaria. Hoc de eo memoriae prodidit R. P. Ioſephus Hauſegger Hungarus eiuſdem S. I. in Malabaria Miſſionarius & eius laborum Apoſtolicorum ſocius, nec non P. Mathias Scherpenzel, & Sacerdos Barida Catanar, ſeu presbyter Georgius Mapranatenſis indigena Malabaricus praedicti P. Hanxleden diſcipulus, cum quo ego in Malabaria verſatus ſum. Ante R. P. Hanxleden linguae Samſcrdamicae ſtudium Europaeis viris ob elementorum varietatem, copiam, & difficultatem videbatur impoſſibile, ille tamen id imperterritus aggreſſus eſt, & aſſiſtentibus duobus Brahmanibus academiae Triciurenſis, quos ſibi devinxerat, feliciſſime excoluit. Unde non ſolum linguae vulgaris Malabaricae, ſed etiam ſacrae Samſcrdamicae peritiſſimus fuit, ut multa eius ſcripta, quae poſt ſe reliquit, teſtantur. Hic ergo primus grammaticam Samſcrdamicam ex libro grammatico Brahmanico *Sidharúbam* dicto confecit, atque haec grammatica Grandonica cum noſtra Samſcrdamica, quam ab Kunhen & Krshna Brahmanibus Angamalenſibus accepimus, quoad elementa & regulas una eademque eſt. In regulis linguae Samſcrdamicae tradendis P. Hanxleden utitur lingua latina. Utraque haec grammatica com-

compendium eſt magnae grammaticae Brahmanicae Sidharúbam dictae, quae in bibliotheca non exſtat, quam tamen ego poſſideo cum integro & correcto textu. Maior itaque haec grammatica in India eſt inquirenda, ubi eius exemplaria haud difficulter comparari poſſunt, dummodo peculio, urbanitate & comitate apud Brahmanes ea aliquis procuret. (1)

N. III. *Grammatica & dictionarium vulgaris linguae Malabaricae.* Codex manuſcriptus in 4. Quemadmodum grammatica Grandonica *num.* 2. nullum auctoris nomen preſefert, ex charactere tamen manus propriae aliiſque evidentibus indicis R. P. Hanxleden eſſe dignoſcitur, ita pariter hic codex *num.* 3. auctoris nomine deſtituitur. Eſt autem auctor R. P. *Faraz* Luſitanus e S. I. primo regni Madure Miſſionarius, deinde collegii ac ſeminarii Ambalacatenſis in Malabaria Rector. Hic dum anno 1790. irruentem intra vallum regni Travancorenſis ad oppidum Ambalacata exercitum, bellumque Nabab Tipu Sultan principis fugeret, ac Coccinum verſus cymba veheretur, in itinere morbo, moleſtiis, ſenio confectus deceſſit, & ſepultus fuit in eccleſia *Cettiati* Carmelitarum Diſcalceatorum parochia. Grammaticam quam exhibet, deſcripſit a R. P. Hanxleden, dictionarium ipſe compoſuit, ſed hoc orthographicis erroribus & vocabulis incorrectis, obſoletis, Tamuliciſque ſcatet.

N. IV. *Grammatica Damulica Bartholomaei, Ziegenbalg.* Halae Saxonum anno 1716. edita. Auctor characterum ſeu elementorum & linguae Samſcrdamicae imperitus, cum horum formam in horto Malabarico anno 1678. Amſtelodami edito offendiſſet, totus attonitus in praefatione ad ſuam grammaticam exclamat, *neſcio, cuius imperitia, aut incuria factum ſit, ut illa permultum diſcrepent a genuina characterum Malabaricorum* (nempe Tamulenſium qui improprie Malabarici dicuntur) *forma, adeo ut ipſis etiam Indis* (nempe idiotis) *ignota ſint*. Pag. vero 9.

(1) Grammaticam & dictionarium Samſcretanicum (Samſcrdamicum) bibliothecae regiae Pariſienſis num. 283. refert in catalogo codicum mſſ. Stephanus Fourmont. Qua lingua aut quibus elementis in regulis tradendis utatur, an genuina ſit an vero alicuius gentilitiae Indicae linguae, non mihi conſtat. Ita pariter Grammaticae Samſcrdamicae *Mugdba bbóda* meminerunt Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatik reſearches* tom. 1. pag. 354. Calcuttae anno 1788.

ro 9. ſcribit, *Bitá* pater pro പിതാ *pidá*, quae vox eſt Samſcrdamica, *Matá* mater pro മാതാ *mádá*, *Kirubei* gratia pro കൃപാ *Krbá*, quod non *gratiam*, ſed *miſericordiam* ſignificat, *Púmi* terra pro ഭൂമി *bhúmi* terra, *Mánaſchu* voluntas pro *manaſſa* voluntas, *Schádi* genus pro ജാതി *giádi* genus, tribus ſeu caſta Luſitanis, & pag. 14. *Tſchudenágia Saruwèſuren* Deus filius pro *Sudenáguia Sarvèshvaren*. Ita alia vocabula Samſcrdamica per gentilitiam Tamulicam linguam eiuſque elementorum defectum iam corrupta, ipſe magis corrumpit per litteras & pronuntiationem Europaeam. സുതാ *Sudá* Samſcrdamice *filius*, vide Amaraſinha *Sect. Manushavarggam*. സുതൻ *Suden* Malabarice *filius*, vide dictionarium R. P. Hanxleden. Ziegenbalg ſcribit *Tſchuden*, quia lingua Tamulica deſtituitur littera Samſcrdamica സ *s*. Sed quid inde obvenit? ച്ചുതാ *Ciuda* more Italico, & *Tſchuda* more Germanico aut Danico ſcriptum ſonat *luſorem*, *nugigerulum*, *impoſtorem*, idem plane quod Malabaricum & Tamulicum *Ciuden* vel *Tſchuden* a Ziegenbalgio deſcriptum. Dum igitur is ſcribit *Tſchudenágia Saruwéſuren*, quod ad litteram ſonare deberet: *filius qui eſt omnidominus* ſeu *univerſi Dominus*, is palam & aperte ſuo ſcribendi modo corrupto aliam ſignificationem praedictis verbis appingit nempe, *luſor*, *impoſtor*, *qui eſt univerſi dominus*. Itaque verum eſt ob elementorum defectum, quo lingua Tamulica, Indoſtana, Maráshtica, Nágarica, aliaeque gentilitiae ſeu nationales Indicae linguae a matre Samſcrdamica deſcendentes laborant, has linguas gentilitias corruptas eſſe, per eas matrem Samſcrdamicam corrumpi, vocabula intricari, atque ſignificationes dictionum primigenias ambiguitatibus ſcatere. Neceſſe ergo eſt, ut maternae Samſcrdamicae linguae ſtudio etiam illi incumbant, qui gentilitias Indicas linguas callent. *Amaraſinha*, *Sidharúbam*, *Parva*, aliique Bra-

Brahmanici libri indefeſſo ſtudio & intento animo ſint legendi. Ex his iam patet, grammaticam Damulicam pretio illo, quod eidem tribuit auctor ipſe Ziegenbalg, aeſtimari non debere. Confer grammaticam Samſcrd. *pag.* 40. Item *Ioannis Clerici* artis criticae *part.* 2. *c.* 5. *reg.* 4. *&* *p.* 2: *c.* 12. *reg.* 11.

V. *Grammatica Tamulica auctore R. P. Conſtantio Ioſepho Beſchi e S. I. Miſſ.* typis edita anno 1739. in 8. Addita fuere aliqua ab egregio viro D. Walther Miſſionario Dano Trangambariae. Haec itaque grammatica Trangambariae vulgata, infinitis paraſangis Ziegenbalgianam ſuperat, correctior eſt & tutior. Exſtat praeterea R. P. Beſchi linguae Tamulicae peritiſſimi viri vulgaris Tamulicae linguae dictionarium manuſcriptum, cuius exemplaria plura in India vidi. Accedunt hymni varii, cantilenae ſacrae ab eo compoſitae, quae hodiedum ab Indis orae Piſcariae & Coromandelicae canuntur, ut hymni & cantilenae ſacrae R. P. Ioannis Erneſti Hanxleden a chriſtianis Malabarenſibus,

Num. VI. *Grammatica Tamulica Bartholomaei Ziegenbalg.* liber manuſcriptus ab illo Halae Saxonum edito tranſumtus per R. P. Anaſtaſium a S. Hieronymo Carmelitam Excalceatum Malabariae Miſſionarium.

Num. VII. *Grammatica linguae vulgaris Malabaricae*, liber manuſcriptus. Auctor eſt Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Angelus Franciſcus a S. Thereſia Carmelita Diſcalceatus Epiſcopus Metelopolitanus & Malabariae Vicarius Apoſtolicus. Grammaticae adiectum eſt dictionariolum eiuſdem linguae Malabaricae. Utrumque opuſculum tyronibus huius linguae accomodum eſt, ſed non ſatis correctum, nam ortographiae erroribus ſcatet. Exſtat praeterea in ſcriniis Verapolitanis diarium manuſcriptum eiuſdem auctoris ſucceſſuum quotidianorum miſſionis Malabaricae, qui a tempore ſuſcepti Vicariatus Apoſtolici inter chriſtianos S. Thomae evenerant, ubi multa de Mar Gabriele Neſtoriano Adorbiganae provinciae ad Amrem Epiſcopo, qui ementita fide Romana diu eccleſiam Malabaricam turbavit, narrantur. D. Angelus Franciſcus in Epiſcopum electus fuit anno 1700. 20. Februarii, conſecratus a Mar Simeo-

meone 22. Maii , deceſſit 17. Octobris anno 1712. hora 7. matutina zelo Apoſtolico, virtutum exercitatione , fama ſanctitatis clariſſimus. Oſſa eiuſdem Verapoli in eccleſia ad latus Evangelii condita requieſcunt.

Num. VIII. *Grammatica Malabarica* , liber manuſcriptus eodem auctore. (1)

Num. IX. Codex chartaceus manuſcriptus in 4. continet

1. Alphabetum linguae Talinganicae quae obtinet in peninſula Indiae mediá uſque ad fluvium Krshna in regno Golkonda & tota ora Orixae. Hoc alphabetum linguae Samſcrdamicae ſacrae ſonos mirifice reddit ac ad eam ſcribendam maxime idoneum eſt, ut Alphabetum Granthamicum ſeu Malabarico Samſcrdamicum & Nagaricum, quod exhibent Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatick reſearches tom.* 1. Alphabetum, & grammaticam Talinganicam affert Stephanus Fourmont in catalogo codicum mſſ. bibliothecae regiae Pariſienſis *num.* 223.

2. Continet Alphabetum Malabarico Tamulicum ſeu linguae vulgi Malabarici *Maleálma* dictae , de qua vide Alphab. Grandonico Malabaricum ſive Samſcrudonicum typis s. Congr. de Prop. Fide editum anno 1772. *pag.* 10.

3. Continet Alphabetum *Carſciunicum* , quod in Malabaria ex Chaldaicis litteris efformatum ſacerdotibus indigenis inſervit ad res chriſtianas ſacras vulgari Malabarico ſermone ſcribendas , & vulgi notitiae ſubtrahendas.

4. Continet aliqua praecepta medica Malabarica , hymnum ad B. V. M. , Alphabetum Samſcrdamicum , litteras circulares ab Epiſcopis & Miſſionariis ad eccleſias Malabaricas ſcriptas, catechiſmum parvum , ſermonem de paſſione Domini.

Num. X. *Dictionarium Malabarico-Luſitanum*. Liber manuſcriptus in 4. Auctore R. P. Hanxleden , qui illud perduxit uſque ad litteram T. , reliquas addidit D. Antonius Pimentel Archiepiſcopus Cranganorenſis vir linguae Malabaricae & Chaldaicae peritus, qui ob hanc peritiam ab indigenis Malabaricis *Bud-*

(1) De his codicibus Malabarenſibus iam paucis diſſeruit eruditus vir Iohannes Chriſtophorus Amadutius in praefatione ad Alphabetum Grandonico-Malabaricum, quod vide *pag.* XVII. *& ſeq.*

Digitized by Google

Budhimetran, hoc eſt, Epiſcopus ſagax & doctus vocabatur. Auxit deinde hic ipſe dictionarium R. P. Hanxleden & ſuo nomine novum hoc opus protulit, cuius aliqua exemplaria manuſcripta in Malabaria circumferuntur. Haec duo dictionaria dum correcta, & ab amanuenſium erroribus expurgata ſunt, omnibus aliis praeſtant, nam illud R. P. Hanxleden a P. Hauſegger deſcriptum correctiſſimum eſt, & genuinis vocabulis Samſcrdamicis ex vocabulario Brahmanico *Amaraſinha* deſumtis refertum, aliud vero D. Pimenteli verborum copia & varietate praeſtat. Utrumque charactere utitur Malabarico-Samſcrdamico & Indicas voces Luſitano ſermone explicat. (1)

Num. XI. *Dictionarium vulgaris linguae Malabaricae*. Liber manuſcriptus in fol. auctore R. P. Clemente a Ieſu Carmelita Diſcalceato Malabariae Miſſionario. Poſt dictionarium P. Hanxleden & D. Pimenteli hoc dictionarium primo loco recenſeri meretur, nam correctum eſt, ab erroribus immune & vocabulis praeſertim ad communem vitae conſuetudinem neceſſariis inſigne. Obiit R. P. Clemens vir charitate erga pauperes, doctrina & linguae Malabaricae peritia praeſtantiſſimus, meus olim in miſſionibus ſodalis, annò 1782. 19. Octobris, ſepultuſque fuit Verapoli. Auctor eſt *Alphabeti Grandonico-Malabarici* de quo ſupra, & alterius libri Romae lingua vulgari Malabarica editi ſub hac inſcriptione: *Chriſtianae legis brevis explicatio* Romae anno 1773.

Num. XII. *Vocabulario Tamulico com a ſignificaçam Portugueza compoſto pello P. Antam de Proença da Companhia de Ieſu Miſſionario de Madurey*. Liber editus anno 1679. 30. Iulii in oppido Ambalacatta in Malabaria per Ignatium *Aichamoni* indigenam Malabarenſem qui characteres Tamulicos in lignum inciſos curantibus PP. ſocietatis tunc Ambalacatae miſſionariis primus protulit atque hoc vocabularium Tamulicum impreſſit. Vocabularium hoc ſuo calculo approbavere P. Antonius Pereira, P. Valerianus Cataneus, P. Ioannes de Maya aliique miſſionarii.

(1) Hoc dictionarium nos in grammatica Samſcrdamica & ſyſtemate Brahmanico citavimus ſub *num. 9.* quem numerum heic mutare oportuit. Dictionarium hoc inſcribitur: *Vocabulario da lingoa Malavar*.

Digitized by Google

rii. Concinnatum fuit ex ſcriptis P. Ignatii Bruno, P. Roberti Nobili, P. Emanuelis Martins, ex opuſculo Flos Sanctorum inſcripto in ora Piſcaria impreſſo, ex vocabulario Tamulico in urbe *Iafanapatam* in inſula Ceylan confecto per P. Bruno, atque ex ſcriptis P. Roberti Nobili vocabulis Samſcrdamicis refertis. Vide praefationem auctoris in qua multa tradit de imperfectione characterum & linguae Tamulicae. Ex. gr. vocabulum *Cayam* legi poteſt *Gayam*, & utrumque apud Tamulicos iisdem litteris ſcribitur, primum tamen ſignificat *corpus*, alterum *vulnus* &c. Ad calcem operis exſtat grammatica Tamulica inſcripta, *Arte Tamulica compoſta pello P. Balteſar da Coſta Miſſionario de Madure*. Haec deſcripta fuit Verapoli anno 1685. 25. Iunii a R. P. Petro Paulo a S. Franciſco Carmelita Diſcalceato olim miſſionario Malabariae, deinde Archiepiſcopo Ancyrano & Vicario Apoſtolico regnorum magni Mogolis. Character eſt nitidus & correctus. Vocabularium R. P. Antonii a Proença de quo ſupra, elegantia vocum, nitore & correctione linguae praeſtat, ſed characteres, utpote in lignum inciſi, luridi ſunt & indiſtincti, haec tamen ſatis demonſtrant linguarum Indicarum ſtudium & impreſſionem codicum Indicorum a miſſionariis catholicis primo caepiſſe, ac proinde criminationes, quas nonnulli Angli & Galli in eos iniiciunt, falſas & flocci faciendas eſſe. (1)

Num. XIII. *Theſaurus linguae Indianae*. Codex manuſcriptus in *fol.* auctore R. P. Franciſco Maria Cappuccino provinciae Turonenſis, olim in Diarbekier, deinde Surate in India miſſionario. Fata huius viri traduntur *pag.* 424. eiuſdem Theſauri. Is dictionarium hoc bibliothecae S. Congregationis donavit anno 1704. ut conſtat ex appocha Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi D. C. A. Fabronii tunc eidem S. Congr. a Secretis. Hoc idem correctum fuit a P. Caſſiano a Macerata altero Cappuc-

H cino

(1) Flos ſanctorum de quo heic mentio, typis Tamulicis editus fuit characteres Tamulicos curante & ſcalpente R. P. Ioanne Faria S. I. in ora Piſcaria Miſſionario anno 1578. Anno praecedenti 1577. Ioannes Ganſalvez Hiſpanus laicus S. I. iam alios Indicos characteres ſcalpſerat, quibus prima chriſtiana catecheſis in India vulgata fuit. Vide librum inſcriptum: *Oriente conquiſtado a I. C*, auctore P. Franciſco a Souſa. *Lisboa anno* 1708.

Digitized by Google

cino Indiae miſſionario, ut patet ex altera appocha ab Eminentiſſimo Card. Borgia tunc Sac. Cong. a Secretis ad calcem libri exſtante. Hoc igitur dictionarium linguae vulgaris Indoſtanae, prout ea in urbe Suratenſi in uſu eſt, agente cumprimis & favente Emo D. Cardinali de Bernis, domino Anquetil du Perron Lutetiam Pariſiorum miſſum fuit, qui illud anno 1784. bibliothecae reſtituit, ut patet ex epiſtola ab eo 12. martii 1784. Lutetia ſcripta, in qua Anquetil ita loquitur: *Ce bienfait vraiement royal* (nempe ſubmiſſio libri Lutetiam ſummo Pontifice annuente facta) *me rend l'ardeur, qui dans le feu d'une jeuneſſe bouillante, mais réfléchie, m'avoit fait franchir les Ghates, braver les èlemens, les climats, en devorer les difficultés de trois langues mortes, le Zend, le Pehlvi, & le Samskretam*. Et infra: *J'ai copié en entier le Theſaurus linguae Indianae, ſans, parlant humainement en omettre un iota, cet ouvrage ſera le fond du dictionnaire Maure-Perſan-François & Latin, que j'ai preparè*. Et infra: *En copiant la colonne Indoſtanne, j'ai vu avec ètonement, que la quatrieme colonne, qui en prèſente la lecture, ne la rendoit pas complètement &c.* *Primo* ergo, quartam columnam quae eſt Indoſtana, lectio Europaea non reddit ex confeſſione ipſius D. Anquetilii. *Secundo*, in multis locis deficit textus Indoſtanus, quod itidem fatetur Anquetil. *Tertio*, textus hic correctus fuit a P. Caſſiano a Macerata. *Quarto*, R. P. Franciſcus Maria dictionarium hoc in urbe Surate compoſuit, nempe ſecundum linguam quae ibi obtinet, & quae certe non eſt lingua ſacra Samſcrdamica mater, ſed nationalis & gentilitia illius gentis a Samſcrdamica deſcendens, ac proinde corrupta & multis vocabulis Perſicis & Arabicis inquinata. D. Anquetil dictionarii huius exemplar in urbe Surate viderat apud RR. PP. Cappuccinos, & cum vacuis manibus in Europam rediviſſet, tum demum illius recordatus eſt, illudque ex bibliotheca S. Congregationis poſtulavit. *Quinto*, ഗ്രഹ-ണം grehanna *ecypſis* vocabulum eſt Samſcrdamicum. ഗ്രഹം greha *planeta*, ഗ്രഹസ്ഥിതി grehaſtidi *ſitus planetae*, dictiones ſunt vocabularii Brahmanici Amaraſinha, quod nec R. P. Franciſcus

ciſcus Maria, nec D. Anquetil umquam legit. Cum igitur *Grebanna*, & non *Greben*, liber *Amaraſinha* reddat, *Greben*, prout ſcribitur *in theſauro linguae Indoſtanae*, abſque omni dubio vocabulum eſt Suratenſe gentilitium corruptum. Ita pariter ſcribitur ibidem Bout pro Bhuda *daemon*, *larva*, dén pro dána *donum*, ſaheb pro kartá vel nátha *dominus*, zok pro ſugha *voluptas*, nócſan pro násha *damnum* &c. Haec & alia infinita vocabula quae in *theſauro linguae Indianae* afferuntur, palam & aperte indicant R. P. Franciſcum Maria linguae Samſcrdamicae imperitum fuiſſe, vocabula Indica ex gentilitio Suratenſium uſu conſcripſiſſe, nullam grammaticae Samſcrdamicae & vocabularii Brahmanici Amaraſinha notitiam habuiſſe, aut non legiſſe, Theſaurum ipſius utpote ex multis adulterinis numis collectum iam ex parte a P. Caſſiano expurgatum fuiſſe, Perſicis & Arabicis dictionibus ubique ſcatere, nam *Sabeb* dictio eſt Arabica aut Perſica, non autem Indica aut Samſcrdamica. His igitur perſpectis, cum D. Anquetil du Perron hoc & non alio libro uſus ſit in ſuis diſquiſitionibus Indicis; cum *Theſaurus* hic baſis ſit dictionarii Indici quod ipſe praeparavit; cum nec grammaticam nec vocabularium Brahmanicum umquam legerit, aut ſaltem nihil omnino ex eo adduxerit, mirum ſane cuique videri debet, quomodo ipſe trium difficillimarum linguarum aſperitates tam facile devoraverit, quomodo Samſcrdamica vocabula explicaverit, quomodo tanto auſu res Indicas turbaverit, quomodo ſeriem antiquiſſimam regum Indicorum texuerit, quibus modis etymologias dictionum Indicarum paſſim & perquam illiberaliter ubique tradiderit.

Confer Anquetilii *Recherches hiſtoriques & geographiques ſur l'Inde*, prem. part. à Berlin 1786. pag. XXVII. *Je vais donner la ſuite des Rois de l'Inde, priſe du Tedzkerat Aſſalattin, qui l'a tirée des livres Samskretans*. Et cur eam non affert ex ipſis ſinceris libris Samskrdamicis? cur ipſe eos non legit, cum ſcribat ſe omnes Samſcrdamicae linguae difficultates devoraſſe? cur ex Perſicis fontibus corruptis haurit aquas, quas ex Indicis haurire oportebat? Profecto ſi librum Samſcrdamicum *Yudhiſhtira*, qui de his Indicis regibus belliſque eorum diſſerit, cogno-

gnoviſſet, reges & bella illa fabuloſa eſſe, ac Indicam mythologiam, non autem hiſtoriam continere perſpexiſſet. Vocabulum *Yudhishtira* pag. XXXIII. ſcribit Djedaſchter, *Argiuna* corrumpit in Ardjen, *Vâſudêva* in Baſdeo, *Sahadêva* in Schahdeo, & *part.* 2. *pag.* 298. *ac ſeq.* Indicum deum Vishnu, quod vocabulum ipſe ſcribit Beschen, *Michaelem*, Brahma deum *Gabrielem*, Shivam ſeu Mahâdeva, *Esraſil* hoc eſt *Raphaelem* ex Arabicis & Perſicis recentibus ſomniis appellat. Profecto hoc non eſt res Indicas elucidare, ſed pervertere & intricare. (1)

CODICES CORTICEI SEU EX PALMARUM FOLIIS CONFECTI

Num. XIV. Exſtant in bibliotheca S. Congregationis plures codices corticei, ſeu ex palmarum foliis confecti & ſtilo ferreo vel chalibeo exarati., qui mos inter Orientales quam antiquus ſit, indicant Iobi verba 19. 23. *Quis mihi det ut exarentur* (ſermones mei) *in libro ſtilo ferreo &c.* Et Plinius l. 13 hiſt. nat. c. 11. *In palmarum foliis primo ſcriptitatum*. Malabarenſes Indi hodiedum in ſuis libris conſcribendis hunc morem ſequuntur, & rariſſimi ii ſunt libri qui calamo in charta exarati exſiſtant. Hi ipſi libri chartacei non a gentilibus, ſed a chriſtianis conſcripti fuerunt, neque ego umquam inter eos codicem chartaceum a gentilibus ſcriptum vidi. Codex itaque corticeus quem num. XIV. inſignivimus, gentilitius eſt lingua ſcriptus Malabarica, ſed multis vocabulis Samſcrdamicis permixta. *Primo*, continet duo folia ad medicam artem ſpectantia, ſed ſuperſtitioſis praeceptis referta, cum ad evellendas arborum radices ortum, boream, auſtrum, & occaſum ſpectandum eſſe doceat, & quaſi hoc radicibus illis virtutem aliquam tribuat, minutim omnia proſequatur. *Secundo*, alia pauca continet folia, quorum primum deo ഹരി Hari ſeu Vishnu valetudinis

nis

(1) Confer praefat: Iohannis Chriſtophori Amadutii ad Alphabetum Brahmanicum Romae 1771. *pag.* XIV. Aſiatick reſearches *tom.* 1. *pag.* 261. Iohannis clerici artem criticam *par.* 2. *cap.* 5. *reg.* 4.

Digitized by Google

nis conſervatori inſcribitur & conſecratur. Sequuntur orationes magicae & ſuperſtitionibus plenae ſed apicibus adeo informibus deſcriptae, ut vix legi poſſint. *Tertio*, continet alterius auctoris praecepta medica, quae incipiunt ab invocatione deorum *Hari Shrì Gannavadaye namà*, id eſt: *Harì Shri* Vishnu deo beato *&* *Gannabadì deo* ſeu Iano Indico *adoratio*. Ibidem herbae medicae plures deſcribuntur, atque ex earum praeparatione & commixtione ſuperſtitioſa virtus quaedam eas ſummenti promittitur ſive ad acquirendas opes, ſive ad ineundam adminiſtrorum gratiam & amicitiam, ſive ad pellendum inimicorum odium, ſive ad uſum turpem. Comixtionibus herbarum adduntur orationes *mandra* dictae, quibus dii deaeque invocantur, & potiones conſecrantur. En ex illis unam. *Om! namó Bhagavan mukkilla ciatta mugham tlrivullone Kadavattuvalái ní codutta tala nóvum, talacuttum, tala codighnayum vittu póga, Svahá*. En illius litteralem verſionem. *Fiat! adoratio tibi Bhagavan* (nempe deo Shivae ſeu Mahadévae), *dolores capitis*, *punctio & vertigo capitis*, *quam tu dediſti*, *pereat*, *exſtinguatur*, *diſſipetur*. Heic animadvertendum eſt, Shiva deum deſtructorem ſeu virtutem deſtructricem eſſe ab Indis credi, & quia generans & deſtructor eſt, ſeu ſymbolum ſolis generantis, vivificantis & deſtruentis, hanc orationem ad eum dirrigunt, atque moleſtiam & dolorem capitis, quae utique ad deſtructionem individui tendit, per eum expelli tollique poſtulant. *Quarto*, codex hic continet deſcriptionem trianguli, pentagoni, hexagoni & horoſcopi. Ad latera horum angulorum variae myſticae litterae deſcriptae exſtant, atque illis variae orationes adduntur, quas ſi deſcriptas in foliis palmae ex collo penſiles gerant, aut ſub lapide in domo aut horto defodiant, alteri damnum inferri, daemonem inde expelli, ab eo liberari, vel viceverſa ibi ligari poſſe credunt. Confer. Strab. lib. 15. de Indis diſſerentem. *Cum magicis carminibus & ligaturis medicinam affingere*, *alios eſſe quorum quidam divinatores*, *incantatoreſque ſint*, *& conſuetudinum & dictorum circa defunctos non ignari*.

Num. XV. Codex corticeus Malabaricus praecepta medica tradit calaplaſmata *Kushamba* dicta, conficiendi, & decocta *Lébam* nuncupa-

cupatà apparandi artem docet. Incipit ab hac invocatione ഹരിഃ ശ്രീ ഗണപതയെ നമഃ അവിഘ്നമസ്തുഃ ഗുരുവെ ശരണം. ഗുരുഭ്യൊ നമഃ വെദവ്യാസായ നമഃ Hari Shri Ganuavadaye namá. Avighnamaſtu. Guruve Sharanam, Gurotyo namá, Vedavyáſáya namá. Id eſt: *Vishnu deo & Gannesbae* (Iano (*deo adoratio. Obſtacula tollantur. Magiſter mi* (nempe tu Deus Iane) *mea ſalus & ſpes. Magiſtro adoratio* ! *Vedavyàſae* heſycaſtae *adoratio* ! Poſt hanc invocationem incipiunt *Slogam* ſeu ſententiae vel verſus Samſcrdamici quos iuvenes medici memoriae mandare ſolent, ut data occaſione & neceſſitate medendi, eo facilius medicorum praeceptorum recordentur, atque ſecundum haec praecepta opportuna remedia morbis apponant. Quare dum infirmi decumbentis cubiculum ingrediuntur, primum hos verſus recitant, deinde quid infirmo agendum ſit, praeſcribunt. (1)

In eodem codice multae in margine quaeſtiones ad ſuperſtitiones & divinationes ſpectantes proponuntur, v.g. an hic vel ille probus ſit, an vero nequam; an haec vel illa pariet ſi in uxorem ducatur, an hic vel ille quaeſitam pecuniam obtinebit, an longam vitam poſſidebit &c. His quaeſtiunculis ex parte oppoſita textus reſpondet, ſed nulla futuri ratio, aut indicii cauſſa affertur, unde videntur haec ad manuum inſpectionem referri, cui magi & necromantes Indici cumprimis addicti ſunt. (2)

Num. XVI. Codex corticeus ex foliis palmae conſtans medica tradit praecepta, quibus ſub finem adiiciuntur invocationes & orationes ad deum Shiva, ad deam Káli, Laekshmi &c. atque alia nonnulla ad necromantiam, ad magiam, ad divinationem & aſtrologiam iudiciariam ſpectantia.


Num.

(1) His *Slogam* ſeu ſententiis ſcriptus eſt liber Amaraſinha, Bhágavada, Yudhishtira, Vyágarna & Mágha, qui apud me exſtant.

(2) Quam frequentes fuerint olim etiam in Italia fatidici & divinatorii hi libri, argui poteſt ex Suetonio in Octavio pag. 84. *Quidquid fatidicorum librorum graeci latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit* (Auguſtus Octavius), *ac ſolos retinuit ſibyllinos; hos quoque delectu habito.*

Digitized by Google

Num. XVII. Codex corticeus parvus ſed denſus,totus de magia, divinatione & ligaturis magicis agit. Plurimi in eo exſtant circuli magici, trianguli, quadranguli, pentagoni, hexagoni litteris magicis inſcripti,quibus Indi hodiedum, ut olim Aegyptii & Perſae maximam virtutem ſive ad morbos pellendos,ſive ad daemones compeſcendos ineſſe putant.Inter hos magicos angulos numeratur unus, qui പാദിരാപങ്ങിയാമി ചക്രം Pádirápangiami ciactam inſcribitur, ſeu *circulus mediae noctis quintae diei lunaris*. Hunc ita pingunt



In hac figura litterae latterales in columnis exſtantes ഓ ò, vel ഔ denotat voculam ഓം *Om*, *fiat*, *amen*, *volo*, *fiat*. De hac invocatione eiuſque virtute iam ſupra diſſeruimus. Quemadmodum igitur Indi mundum hunc, litteras, ac omnes res viſibiles ope huius particulae ſeu invocationis per deum Ishvara ſeu dominum, & per deam Bhaváni ſeu naturam uxorem eius productas fuiſſe credunt, ita hac eadem particula *Om* ligaturis ſuis, orationibus, herbis, circulis, foliis palmae ſcriptis virtutem aliquam tribui poſſe exiſtimant, qua morbi pellantur, larvae & genii mali diſſipentur, incolumitas corporis reſtituatur, ſi eam vocem in folio palmae pentagono, triangulo aut he-

hexagono inſcriptam ex collo geſtent. Igitur huic circulo *Salus* non adſcribitur ob nudam pentagoni, hexagoni, aut trianguli formationem eique annexam ſuperſtitionem, quod exiſtimat Pierius, et praeſertim P. Athanaſius Kircher *Arithmologiae ſive de abditis numerorum myſteriis*, Romae 1665. *part.* 5. *cap.* 1. *de magicis amuletis pag.* 216., Sed hexalpha, pentalpha, quadrangulus, aliaeque his ſimiles figurae dum ſive numeris, ſive myſticis litteris inſcriptae ſunt, ſalutem, incolumitatem, geniorum malorum expulſionem, corporis conſervationem afferre creduntur ob particulam ſeu voculam *hum* & *om*, quas creator dominus ad naturam perſonificatam pronuntiaſſe, & quarum virtute omnia creaſſe dicitur. Quae quidem voculae cum divinae & immenſae virtutis eſſe credantur, per eas in circulis deſcriptas a malis liberari, & bonis cumulari Indi, Perſae, Aegyptiique credebant. Confer Plutarch. de Iſide. *Hecataeus Aderita hoc verbo* (*Amun*, quod corruptam eſt ab *Om* vel *Am*, & *hum*) *invicem uti Aegyptios ait*, *cum alter alterum vocat*. Qua nempe ratione etiam Ishvara ſeu Dominus Creator naturam uxorem ſuam vocaſſe fingitur. *Eſſe enim vocem invocatìvam* (*hum*, vis ne, *Om*, volo, fiat), *& cum principem deum eumdem cum univerſo putent*, *utpote obſcurum & abſconditum*, *vocari ab iis & orari Amun dicentibus*, *ut prodat ſe*, *ac conſpiciendum ſe praebeat*. Hoc nempe modo prodidit ſe, ac conſpiciendum praebuit Ishvara ſeu Dominus naturam uxorem ſuam vocando *hum*, *vis ne*, *ut tera*, *aqua*, *ignis creetur* ? Cui natura uxor reſpondit: *Om*, *volo*, *fiat*, *Amen*. Nec obſtat, quod Manetho de hac invocationis forma nihil dicat; non obeſt, quod Aegyptii ac fortaſſis etiam Graeci *Amun* ſive Iovis ſive Oſiridis nomen eſſe crediderint, nam Manetho Sebenita adhuc fatetur, ea voce *occultatum* & *occultationem* ſignificari, & Indi hodiedum credunt *Om* triadis Indicae, aut Ishvarae ſeu Domini Creatoris nomen eſſe, quod hac de cauſſa devotiſſime ſemper pronuntiant. Voculae itaque hae invocativae antiquiſſimae, quae Geneſeos voculae *Fiat* in obſcura caligine demerſae memoriam recte excitant, eiuſque veritatem probant, temporum longitudine, edacitate, et vetuſtate, promiſcuis nominibus, dialectorum varietate, confuſiſque

tra-

traditionibus neceſſario corrumpi debuerunt, iiſque varia ſignificatio affingi. Strabo de Aegyptiis ſacerdotibus ſuo tempore in Aegypto ſuperſtitibus lib. 17. animadvertit: *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus ſacerdotes habitabant. Immo dicunt hanc olim ſacerdotum habitationem fuiſſe, hominum philoſophiae & aſtronomiae deditorum. Nunc is ordo ac ſtudium defecit, nec quiſquam nobis tali exercitio praeeſſe oſtendebatur, ſed homines tantum qui ſacrificia curarent, atque ritus eos peregrinis commonſtrarent.* Et infra de Eudoxo et Platone in Aegypto cum ſacerdotibus verſante ait: *Ambo cum ſacerdotibus annos 13. ſunt verſati, ut quidam volunt; nam cum ſacerdotes illi & in rerum caeleſtium ſcientia praeſtarent, eſſentque myſtici & incommunicabiles, tamen & tempore & obſequio exorati, nonnulla praecepta commonſtrarunt, plurima enim barbari occultabant.* Platoni itaque aliiſque auditoribus Graecis Aegyptii ſacerdotes pauca communicarunt, et tempore Strabonis eorumdem ſacerdotum ſcientia et ſtudium iam conciderat. Quid igitur mirum, ſi invocationis et creationis mundi vocula ***Amun***, ſeu ***Om***, ***hum***, vel ***Am***, ***hum***, iam tunc inter Aegyptios obſcura, intricata, et corrupta fuit, quae tamen ex Brahmanicis libris, ſi ii recte intelliguntur, aperta et perſpicua redditur, ac luculenter demonſtrat, Indos, Aegyptios, Perſas, Tibetanos hanc invocationem ſemper ut ſacram et myſticam tenuiſſe, ei virtutem immenſam attribuiſſe, illius deſcriptione amuleta ſua inſigniviſſe. Itaque amuleta haec, vocula iſta, numeri, pentalpha, hexalpha, aliaeque figurae ſimiles, inventiones non ſunt Gnoſticorum, quod loco citato comminiſcitur R. P. Kircher eiuſque ſequaces, qui haec omnia intricarunt, et ex his ubique Gnoſticorum ſomnia ac Manichaeiſmum protrudere conati ſunt. In figura Indica a nobis deſcripta in medio quadranguli inſcripta exſtat haec vox: ഒന്നു onnu, ഒന്നു onnu, id eſt, *unum*, *unum*. Haec igitur eſt μονὰς monas Pythagorae, Platonis, Aegyptiorum ſacerdotum, et Brahmanum Indorum. Macrobius *in ſomn. Scip. l. 1. c. 6.* ait: *Unum autem quod monas, id eſt unitas dicitur, & mas idem & femina eſt,* (talem ex utroque ſexu deum Ishvara eſſe Brahmanes dicunt)

Digitized by Google

par idem atque impar, ipſe non numerus, ſed fons, & origo numerorum. Haec monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum.... Haec illa eſt mens e ſummo Deo nata, quae vices temporum neſciens, in uno ſemper quod adeſt, conſiſtit aevo, cumque utpote una non ſit numerabilis, innumeras tamen generum ſpecies & de ſe creat, & intra ſe continet &c. Vide etiam *cap. 6.* et ibi triangulum cum numeris deſcriptum. Haec autem Macrobius ex Pythagorae et Platonis ſententia affert, igitur Gnoſticorum inventiones et ſomnia non ſunt, nam haec his philoſophis multo recentiora ſunt. His poſitis, non diffiteor lapſu temporis Pentalpha et Hexalpha, aliaſque figuras corrumpi, intricari, detorqueri, alieno ſenſu explicari, quin immo ſuperſtionibus coinquinari potuiſſe. Medulla tamen rerum eſt ſpectanda, non cortex. Figurae a nobis ſupra deſcriptae in hoc Indico codice adiicitur oratio: *Om! Ciandiga dévi vágnuga, ſvahá.* Fiat! *dea Ciandiga exi, ſvahà.* Id eſt, te deam ciandiga, quae malus genius femineus eſt, per deam Svahà coniuro, ut ex hoc corpore exeas. Alia oratio ad deam Bhavàni ſeu Pàrvadi: Om, *namò Bhagavado*, Om, *panciamughi yumé*, Om, *panciamughi yumé*. Om, *fiat! Adoratio tibi quinque vultuum domina*. Om, *fiat! Adoratio tibi quinque vultuum domina*. (1) Alia Oratio ad deum Brahma, Vishnu, et Shiva: *Om Brahmanàna tànnu, Om, Vishnúvinàna tànnu, Om, Ishvarenàna tànnu, nírunínnapole nilkenam*. Fiat! per deum Brahma te (humorem malignum ſeu tumorem corporis) coniuro, ut ſubſideas et diſſiperis, Om, fiat, per deum Vishnu te coniuro ut ſubſideas, Om, fiat, per deum Ishvara (qui eſt Shiva) te coniuro, ut ſubſideas eo ſitu quo prius occultus ſteriſti Alia ad deam Kali: *Hum, Panghi namá; hum, Varàhi namà; hum, Bhadrakàli namà; hum ummatta Vairavi namà*. Hum, Panghi luroſa ſeu humida dea tibi adoratio, hum por-

(1) Utraque haec oratio ad deam Bhavani, Párvadi, Káli, ſeu ad deam lunam malignam, cuius ſymbolum dea Káli eſt, dirigitur. Confer ſupra dicta de dea *luna* & *natura*. Primo itaque Indi aſtra, deinde poſt aſtrorum in ſimulacra transformationem, haec ipſa ſimulacra malis boniſque geniis animata fuiſſe crediderunt, creduntque hodiedum. *La doctrine des Chinois a de tout temps attribué des eſprits aux quatre parties du monde, aux aſtres, aux montagnes, aux rivieres, aux villes &c.* De la Loubere *tom. 1. pag.* 504. Hos genios pariter omni tempore adorabant Indi.

porcina ſeu vultum porcinum, dentes exſtantes et porcinos praeteferens tibi adoratio, hum Bhadrakàli dea bona, et fuſca tibi adoratio, hum domina furibunda & caſtigatrix tibi adoratic. Diximus in ſyſtemate Brahmanico deam Pàrvadi ſub duplici forma in India repraeſentari, nempe ut generatricem et deſtructricem, ut bonam et malignam. Ut perverſa et maligna eſt, morbos ciere, et populum caſtigare creditur, et dum talis eſt horribili forma, porcinis dentibus proſtantibus exhibetur. Vide Syſt. Brahmanicum *pag.* 99. *&* *ſeq.* Ad hanc igitur deam ſecundae formae haec oratio dirigitur. Particula *hum* una eſt ex duabus ſacris voculis, quae tamen ob ignorantiam primigeniae ſuae ſignificationis voculae *Om* ſubſtituta fuiſſe videtur, ordine enim et ſenſu naturali legendae ſunt hoc modo: *Hum*, *nonne*? *Om*, *ita*, *omnino*, *amen*, *fiat*. Vide de commutatione et inverſione harum particularum ſacrarum in orationibus Indicis grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 50. 51. *&* *ſeq.* In eodem hoc codice dicitur, quod ſi oratio praedicta in folio palmae exarata in os gallinae introducatur, et eadem occidatur, atque ſanguine eius humus reſpergatur, larvas, daemones, aliaque monſtra nocturna et maligna in eo loco alligari. Sequitur ibidem aliud hexalpha, quod voculam ഓം *Om* integram manifeſte inſcriptam gerit ſimilibus ſuperſtitionibus inſignem.

Num. XVIII. Codex corticeus ex foliis palmae conſtans, non denſus & vulgari lingua Malabarica ſcriptus, refertus eſt ſortilegiis, incantationibus, ſuperſtitioſis medicis praeceptis, atque nominibus & orationum formulis chriſtianis abutens. *Primo*, incipit a ſolitis gentilium deorum invocationibus. *Secundo*, affert hanc precatiunculam: *Mar Gauriel Malábá*, *Mar Mehel Malàbà*, *Mushevennum*, *Iſhò Malpane*, id eſt: *Sancte Gabriel Angele*, *Sancte Michael Angele*, *Moſes & Ieſu Magiſter* (quae dictiones ſunt ex Syro Chaldaica lingua aſſumtae) *ex lumine tuo mihi loquere*. *Numquid tu enſis es*, *tu benedictio mea*, *quacum ego mancipium tuum incedo*. *Quamvis mare tranſeam*, *tu mecum es*, *quamvis per multas eremos & ſilvas tranſeam*, *mali homines & ſpectra per te diſſipabuntur*. *Ego illa dispellam gramine* tolpana *me aspergendo*, *monachi Horſmisdae ſudore me aspergendo*. *Mali*

 genii

genii diſcedite, *Magiſter adiuva me*. Addit codex: *Qui vir vel femina manus capiti imponendo orationem hanc centum & una vicibus recitaverit*, *agitabitur furore ſacro & vaticinabitur*. Alia oratio: *Magiſtri mei Ieſu Criſti calceis ego vos percutio*, *mali genii diſcedite*. *Magiſter mi adjuva me*. Addit codex: *Haec oratio ad dispellendos daemones valet*. *Dum prima verba profers*, *faciem obſeſſi aqua reſperge*, *daemon exibit*. Ex his igitur patet: *primo*, libellum a Neſtorianis ante Synodi Odiamperitanae celebrationem compoſitum fuiſſe, nam monachus *Hormisdas*, qui ſaepe heic invocatur Neſtorianus erat. *Secundo*, gentilicis & chriſtianis orationibus permixtus eſt, quales plurimae ante expurgatos a Menezio & P. Rozio Chaldaicos & Malabaricos chriſtianorum S. Thomae in Malabaria libros, in codicibus chriſtianorum S. Thomae legebantur. *Tertio*; ex his iam liquet, iniquam eſſe D. La Crozii querimoniam, qua Patres ſynodi Odiamperitanae carpit, quod plures ſimiles ſuperſtitionibus gentilicis refertos libros Malabaricos & Chaldaicos comburi iuſſerint, quos ne ipſe quidem Proteſtantium manibus circumferri, legique aſſenſiſſet. Confer *Io. Facundi Raulin Caeſaraugustani hiſtoriam Eccleſiae Malabaricae cum Diamperitana ſynodo*, Romae 1745. pag. 90. & 91. de Abbate *Hormisda*, et de libris apocryphis, perverſis, haereticis, expurgatis aut combuſtis decretum XIV. *pag.* 94. Item *Hiſtoire du Chriſtianiſme des Indes par M. V. La Croze* tom. I. à la Haye 1758.

Num. XIX. Codex corticeus ſeu ex palmarum foliis conſtans ſcriptus vulgari lingua Malabarica continet orationes ad Chriſtum D., ad B. V. M. cuius virtutes et dotes exponit, actus contritionis, formulas confeſſionis, vitam Chriſti D. verſibus ſcriptam, praecipua Evangelii capita, in quibus explicandis ſaepe utitur dictionibus Syro-Chaldaicis. Ex his liquet codicem eſſe, quo chriſtiani S. Thomae in Malabaria uſi ſunt.

Num. XX. Codex corticeus ex viginti ſeptem foliis palmae conſtans continet poema in laudem S. Alexii Confeſſoris, cui eccleſia Molicolam in Malabaria dedicata eſt. Auctor eius eſſe dicitur quidam chriſtianus indigena Malabaricus Iaco Mápulla ſeu Iacobus. Incipit ab invocatione unius & veri Dei, tum legentibus vitas Sanctorum remiſſionem peccatorum promit,

mittit more nempe etiam a gentilibus uſitato, qui heroum ac deorum ſuorum geſta legentibus gloriam, beatitudinem, ac peccatorum veniam promittere ſolent, ſiquidem cum auctor inter gentiles ſcriberet, ſtilum, non rem imitatus nitidis, & correctis phraſibus, eorum arte, atque elocutionis forma utitur. Denique ultimo ad ennarrandas laudes S. Alexii deſcendit, quas egregie pertractat. Codex eſt mancus, quia multa folia deſunt. Geſta S. Alexii aliorumque Sanctorum inter Malabarenſes chriſtianos S. Thomae Naſráni dictos in theatro exhibentur, ut populus hiſtoriis Sanctorum audiendis aſſueſiat, atque a Gentilium fabulis, ac theatris avocetur.

CODICES CHARTACEI VARII

Num. XXI. Codex chartaceus manuſcriptus, anno 1772. bibliothecae illatus, *primo* continet acta ſynodi Odiamperitanae vulgari lingua Malabarica. *Secundo*, inſtructionem ad recitandam coronam B. M. V. *Tertio*, brevem cathechiſmum. *Quarto*, vitam S. Andreae Apoſtoli. Exemplar hoc ſynodi tranſumtum fuit ex codice originali eccleſiae Ss. Gervaſii & Protaſii in oppido Parur in Malabaria.

Num. XXII. Liber ritualis eccleſiae Malabaricae in quarto ſcriptus eſt lingua Chaldaica adiectis nonnullis rubricis lingua Malabarica charactere Carſciunico. Continet benedictionem cinerum, palmarum, ordinem baptiſmi unius viri, unius feminae, plurium, ordinem benedictionis annanae ſeu aquae benedictae, ritum celebrandi matrimonium, extremae unctionis, benedictiones, praeparationem ad Miſſam, cum ordine Miſſae Apoſtolorum, lectiones ex S. Scriptura pro diebus feſtis per annum. Ad calcem annectitur quaternio, in quo deſcribitur chirotonia diaconorum & presbyterorum, oratio ſuper Sacerdotem ſuſpenſum.

Num. XXIII. Codex chartaceus manuſcriptus in quarto, curante Eminentiſſimo Card. Borgia S. Cong. a ſecretis bibliothecae illatus. Inſcribitur: *Dialogo fra un Chriſtiano ed un Gentile*

Digitized by Google

tile Indoſtano ſopra la verità della religione preſentato al Re di Bettia, e diſtribuitene molte copie a diverſi Gentili dal Miſſionari Capuccini ſulla fine dell' anno 1751. Ex codice manuſcripto in *fol. pag.* 177. in Muſeo Borgiano exſtante, a R. P. Marco a Tumba Capuccino Indico Miſſionario conſcripto conſtat, R. P. Ioſephum Mariam a Garignano bon. mem. Miſſionarium Nepalenſem & Miſſionis olim RR. PP. Capuccinorum Praefectum, huius egregii opuſculi auctorem eſſe. Scriptus eſt lingua gentilitia Indoſtana, cuius uſus eſt in urbe Patna ad Gangem ſita, atque haec lingua in multis dictionibus ac nonnullis characteribus differt a gentilitia Indoſtana lingua Suratenſi. Dialogi huius verſio Italica exſtat ad calcem opuſculi quod numerat paginas quadraginta ſex. Ex toto opere patet, auctorem praecipuos gentilium libros intenta mente evolviſſe, ac argumenta vera ex eorum libris hauſta contra eos urgere. Agreditur Chriſtianus falſam gentilis opinionem, qua ſibi perſuaſum habet, omnes religiones bonas eſſe, in eiſque, bonis operibus concomitantibus, aeternae gloriae participem fieri poſſe. Argumentis perſpicuis demonſtrat, religiones has ſibi invicem adverſas & contradictorias eſſe, adeoque ex Deo procedere non poſſe. Deinde multas Gentilium fabulas & dogmata ex canonicis eorum libris affert, ſententias doctorum Brahmanum invicem pugnantes recenſet, ac tandem abſurdis, inſulſiſque eorum opinionibus confutatis, inſufficientiam fidei gentilicae arguit atque evincit. Legendae ſunt cumprimis *pag.* 3. 11. 30. 34. 35. 37 38. 47., in quibus praecipua gentilium mythologica dogmata afferuntur, & exploduntur, quamquam hoc fiat vocabulis Indoſtanis gentilitiis & ſubinde incorrectis, cum dictiones non fuerint hauſtae ex libris Samſcrdamicis, ſed ex codicibus ex hac in vulgarem linguam converſis.

Num. XXVI. Codex manuſcriptus Mathaei Collenceri Sacerdotis indigenae Malabarici continet vulgari lingua Malabarica preces matutinas, rudimenta fidei, cum orationibus ad myſteria Chriſti Domini relatis. Scriptura eſt nitida & correcta.

Num. XXV. Codex manuſcriptus. Synopſis eſt doctrinae

de

de Sacramentis, ſeu examen pro confeſſionibus audiendis, auctore Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Ioanne Baptiſta Carmelita Diſcalceato ſaeculari nomine Multedio, Epiſcopo Limirenſi & Malabariae Vicario Apoſtolico. Exemplar hoc diſcriptum fuit a praedicto Mathaeo Collenceri, qui obiit in oppido Angicaimal, ſepultuſque iacet in eadem eccleſia. Huius presbyteri viri laborioſi characterum formam, quod nitida & correcta eſſet, in ſcalpendis caracteribus Malabarico-Samſcrdamicis in typographeo S. Congreg. artifex imitatus eſt.

Num. XXVI. Dialogus de religionis rebus & dogmate catholico inter catholicum & ſchimaticum Iacobitam Malabarenſem. Codex manuſcriptus incerto auctore compoſitus, deſcriptus fuit a R. P. Franciſco Saleſio Carmelita Diſcalceato Malabariae Miſſionario, deinde Epiſcopo Germanicenſi & eiuſdem Miſſionis Vicario Apoſtolico. Stilus ſimplex, & ſatis accuratus. Scriptus eſt vulgari lingua Malabarica.

Num. XXVII. Synodus Odiamperitana Malabarice. Codex chartaceus manuſcriptus.

Num. XXVIII. Eadem Synodus idiomate Luſitano. Codex manuſcriptus.

Num. XXIX. Codex chartaceus manuſcriptus vulgari lingua Malabarica. Vitae ſeu geſta Sanctorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum.

Num. XXX. Synodus provincialis ſeu conſtitutiones eccleſiaſticae Archiepiſcopatus Cranganorenſis aſſentiente Clero Malabarico ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Franciſco Garzia factae, & in tota dioeceſi Cranganorenſi vulgatae, anno 1606. decima ſexta Maii, qua die Archiepiſcopus per ſuas litteras circulares Synodum obſervandam praecepit. Synodus haec inſcribitur: *Praecepta eccleſiaſtica noſtrae Malabaricae S. Thomae Apoſtoli dioeceſis*. Deinde proſequitur: *Franciſcus* (nempe Garzia Mendez e S. I.) *Dei gratia & Apoſtolicae Romanae omnium eccleſiarum capitis & matris auctoritate totius Malabariae Epiſcopus, regi Luſitaniae a ſacratioribus conſiliis, Venerabilibus Fratribus Archidiacono, praepoſitis, eccleſiarum oeconomis, vicariis, in noſtra dioceſi exi-*

exiſtentibus monachis, *S. Thomae Apoſtoli chriſtianis & novis chriſtianis ſalutem*. In primis articulis ſtabiliuntur capita catholicae fidei, tum ennumerantur libri canonici lingua Syro-Chaldaica conſcripti, praeſcribitur pro novis vicariis formula iuramenti Pii quarti, doctrina de ſeptem Sacramentis explicatur, atque ad Sacramenta adminiſtranda & diſciplinam parochorum optimae regulae praeſcribuntur. E. G. de nuptiis cathecumenorum, de veſtitu clericorum, de ludo & armis vitandis, de cohabitatione cum mulieribus fugienda, de reſidentia parochorum, de breviario recitando, de praedicatione tempore ſolemnis Miſſae inſtituenda, de catechiſmo, de ieiunio eccleſiaſtico, ac feſtis diebus obſervandis. Ex his omnibus patet, librum eſſe utiliſſimum & dignum, qui in typographeo S. Congreg. typis vulgetur, confirmat enim, illuſtrat & explicat ſynodi odiamperitanae decreta, atque accuratius munia eccleſiaſtica definit (1).

Num. XXXI. *Collectio omnium dogmatum & arcanornm ex Puránis ſeu libris Canonicis paganorum Indianorum*, *ſeu tractatus de falſa ſecta paganorum Aſiae maioris ſeu Indiae Orientalis*, *& praeſertim de ſuperſtitionibus Gentilium Malabarium*. Codex manuſcriptus compoſitus a R. P. Ildephonſo a Praeſentatione Carmelita Diſcalceato Malabariae Miſſionario, qui cum ultra duodecim annos in Malabaria ſacris Miſſionibus diligentem operam navaſſet, in Europam redux, anno 1789. in Polonia obiit. Sermoleſtum mihi accidit vel ſolum huius operis tractatuum & capitum elenchum exhibere, adeo aſperum, barbarum & voluminoſum eſt. Stilus vilis & aſper, repetitiones infinitae, exclamationes frequentes, verba aſpera in Brahmanes, longiſſimae digreſſiones me ab hoc opere integro evolvendo deterruerunt. Verum haec omnia non obſunt, quo minus operi ſuum eximium pretium maneat, quia plurima vera, lucida, ſincera ex Indicis libris mythologiae capita profert, quae in aliis libris Europaeis fruſtra quaeſieris, & quae lectu digniſſima ſunt: Lib. 1. & 2. agit de creatione mundi ex opinione, fabulis & mytholo-

(1) Codex eſt chartaceus vulgari lingua Malabarica ſcriptus.

logia Indica, de origine deorum Brahma, Vishnu & Shiva, de Shakti uxore dei Ishvare (1), de forma & ſyſtemate mundi, de formatione terrae & marium, de numero caelorum, de locis inferorum, de aetatibus mundi, de deo Ishvara, de Cailaſa ſede illius, de diis infernalibus, de rixa dei Brahmae cum fratre ſuo deo Ishvara, de filiis huius dei, de Gannavadi, de dea Bhadrakáli etc. Lib. 3. agit de deo Vishnu, & ſic conſequenter de reliquis dogmatibus Indicis. Hunc codicem P. Ildephonſi nos ſaepe citavimus in *Grammatica Samſcrdamica* & in *Syſtémate Brahmanico* ſub *num.* 20., quem tamen numerum immutavimus, praeſentem numerum 31. ei aſſignando.

Num. XXXII. *Notizie laconiche di alcuni uſi, ſacrificj, ed idoli nel regno di Nepal, raccolte nell' anno* 1744. Auctore R. P. Conſtantino ab Aſculo Capuccino Miſſionario Nepalenſi. Codex manuſcriptus in octavo cum figuris idolorum, ſacrificiorum & morum Indicorum Nepalenſium ab Indo quodam Nepalenſi coloribus

(1) *Shakti* deam, quae eadem eſt ac Bhavani, *naturam* eſſe ſymbolice repraeſentatam nos ſupra ex Orpheo, Plutarcho, & Lucretio docuimus. En alia huius deae epitheta ſeu indigitamenta a R. P. Marco a Tumba *in cod. mſſ.* Muſei Borgiani exſtante *pag.* 135. relata, & apud omnes Indos communiter recepta. *Manaſſa*, voluntas, quia omnia naturae voluntate fiunt, ut ideo voluntas haec ſymbolica ſupremi Dei uxor eſſe dicatur, perquam is operatur. *Aghé Shakti* omnipotens, omnia determinans. *Aadi Bhavani*, omnibus rebus ſuum principium & exordium tribuens, prima genitrix. *Mahámáya* magna Máia, dea faſcinationis ſenſuum tam internorum quam externorum, illuſionis dea, omnium deorum mater. Ex quo liquet deos gentilicos naturae filios eſſe, ſeu ad res naturales & phyſicas pertinere. *Non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque ex operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt*. Sap. *cap.* 13. v. 1. & 2., Confer de hac Bhavani, Shakti. Manaſſa, ſeu Maia dea, *Notizie laconiche* cod. mſſ. R. P. Conſtantini ab Aſculo in bibl. S. Cong. *ad fig.* 71. ubi ait: *Il predetto Budh* (Budha, Dherma, ſeu Mercurius) *volendo porre tra viventi una giuſta legge, il che ſenza la ſua viſibile preſenza non potea conſeguirſi, ſi eleſſe per madre una certa donna chiamata Máiadevi* (Máya dea) *e nel Tibeto Lhama chiupral, avendo queſta per ſuo conſorte un certo Re detto Suradan*. En itaque certum argumentum fidei Indicae & Tibetanae. *Primo*, in Budham ſeu Mercurium, *Secundo*, in Màlam Mercuri matrem, *Tertio* in naturam mulierem confictam & allegoricam, cuius ſymbolum eſt luna, quemadmodum ſol ſeu *Súrya* vel *Suradan* Ishvarae ſeu Dei Creatoris ſymbolum eſt & maritus allegoricus naturae. vide *Syſtema Brahmanicum pag.* 106. ubi ex P. Ildephonſo ipſo, & ex hoc eodem P. Conſtantino haec uberius tradidimus.

Digitized by Google

bus vivis expreſſis, & notis in has figuras & tabulas adjectis. Codex ab Eminentiſſimo Card. Borgia tunc S. Congr. a ſecretis bibliothecae datus. Opuſculum eſt eximium, cum pleraque Nepalenſia ſimulacra moreſque exhibeat & deſcribat, ſimulque extremae illius Indiae partis, quae Tibeti regnum immediate attingit, popularem mythologiam & dogmata tradat. Accreſcit opuſculo pretium ex eo, quod regnum Nepalenſe numquam externis ſive Tartarorum, ſive Sinenſium, ſive Europaeorum invaſionibus fuerit turbatum, adeoque genuina Indorum dogmata & traditio manſerit inconcuſſa, quam cum hic codex exhibeat, ab Indicae hiſtoriae ſtudioſis magni pendatur eſt neceſſe.

Attamen animadvertendum eſt *primo*, R. P. Conſtantinum linguae Sacrae Samſcrdamicae imperitum fuiſſe, ac vulgari lingua gentilitia Nepalenſi vocabula deorum dearumque tradere. *Secundo*, nullis uſus eſt Samſcrdamicis aut gentilitiis Nepalenſibus libris ad ſimulacra illa explicanda, ſed ea ex traditione & opinione vulgari deſcripſit. *Tertio*, etymologias dictionum Indicarum non examinat, vocabula ad ſuas primigenias ſignificationes non reduxit, nullam grammaticae aut vocabularii Brahmanici notionem habuit. *Quarto*, mythologiam Graecam & Indicam, eiuſque relationes non indagavit, ſed omnia hiſtorice ſine litteris ſine ingenio dicit. Farraginem rerum affert, nulla in eas facta diſquiſitione. His poſitis & perſpectis, ut quiſque perſpicere poteſt, qui codicem examinaverit, R.P.Conſtantinus ad fig. 17. ſcribit *Bhagaodi*, cum ſcribi debeat ഭഗവതി *Bhaga vadi*, ഭഗ Bhaga *celebritas*, *potentia*, *efficacia*, *ſplendor*, *ſanctitas*, *opulentia*, വതി vadi vel badi *domina*, *uxor*, unde exſurgit dictio *Bhagavadi* dea ſancta, celebris, potens, nempe *Párvadi*, *luna* ſeu *natura*, cuius ſymbolum luna eſt, ab Europaeis corrupte *Pagode* dicta (1). Hanc ob inſtrumenta deſtructionis, quae

(1) Confer codicem mſſ. P. Ildephonſi a Praeſentatione ſupra *num.* XXXI. Vo-

quae lunam ex ſupradictis ſubinde maligni influxus & deſtructricem eſſe indicant, belli praeſidem eſſe putat, cum tamen belli praeſes ſit deus *Scanda* ſeu *Kártiguea*, & Bhagavadi ſeu Graeca Diana non ſit prima armorum & belli praeſes. Ita alibi ſcribit Cháli pro *Káli*, Chumali pro *Comari* vel *Cumari*, Ghaneſo pro *Gannéshá*, Bieſnabi pro *Vaishnavi* uxor dei Vishnu nempe Lekshmi, Himaloe pro *Himala*, Maheſſori pro *Mahèshvari*, Biero pro *Vairi* etc. Ad fig. 26. ſcribit Manzúſſori pro *Mahéshvari*, uxor dei Shivae ſedens in loto *Càmalapu* dicto, ad fig. 40. *Yáma* pervertit in Zamo, deus inferni, ad fig. 43. ſcribit Nagho ráza pro *naga ràgia* rex limbi etc. fig. 37. deam Lekshmi auri & opum deam ſpicas manu ferentem, quae eſt noſtra Ceres & apud Indos dea Ops, Tellus vel Ceres uxor dei Vishnu, confundit cum dea Párvadi, Maheshvari, Bhaváni ſeu cum luna, Iſide, vel natura. Ceterum ex hoc egregio opuſculo diſcimus, *Banìapal* ſedem antiquorum regni Nepal regum fuiſſe, hoc regnum ab ortu imperium magni Mogolis habere, ad auſtrum regulum Maquampurae dominari, ad occaſum perexiguo regno Tanau definiri, ad boream vero regnum Tibet attingere. Reges Nepal ex regno Tirut Indico deſcendunt, atque ab Imperatoribus Mogolenſibus ſtirpem ducendo urbi Catmandu, Patan, Badagao diu imperarunt. Tibetani plurimi comercii cauſſa regnum Nepal frequentant. Philoſophi ſeu monachi poenitentes in Nepal exſiſtentes ex regno Mogol oriundi ſunt, aliqui udhiſtae ex Tibeto in Nepal advenerunt. Exſtat itaque communicatio inter Indos & Tibetanos, atque religio Indica & Tibetana inter ſe convenit. Confer etiam cod. mſſ. in fol R. P. Marci a Tumba in Muſeo Borgiano exſtantem de regno Nepal *pag.* 93. *& ſeq.*

Num. XXXIII. Compendium Theologiae moralis vulgari lingua Malabarica ad uſum cleri Malabarici utriuſque ritus, concinnatum a P. Paulino a S. Bartholomaeo Carmelita Diſcalceato Malaba-

K 2 riae

Vocabul. Amaraſinha *ſect. ſorggavargam*, & D. Caylus *Recueil d'antiquités*, tom. I. planche IV. *pag.* 17. Siſtema Brahmanicum de dea *Párvadi*. Winckelmann, *Monumenti inediti*, vol. 2. pag. 29. 68. 201. 200.

riae Miſſionario. Hoc compendium lectum, examinatum, & approbatum fuit a Sacerdotibus indigenis, a PP. Miſſionariis, & a Vicario Apoſtolico, qui omnes eius impreſſionem poſtulant. Ex decreto S. Congreg. 19. Iulii 1790. una cum grammatica Samſcrdamica typis edi debuit. Grammatica tunc edita fuit, compendio hoc theologiae neglecto.

Num. XXXIV. Alphabetum Samſcrdamicum litteris Granthamicis cum latina pronuntiatione earum. Codex chartaceus in quarto. Auctor eſt R. P. Ildephonſus a Praeſentatione Carmelita Excalceatus Malabariae Miſſionarius, qui ſtudio ſane laborioſo octomillia & quator elementa Samſcrdamica congeſſit, quibus lingua Samſcrdamica ſcribitur. Addidit Alphabeto grammaticam Malabaricam, & dictionariolum eiuſdem vulgaris linguae, opus tyronibus huius dialecti ſtudioſis perquam utile.

Num. XXXV. Introductio ad linguam Indoſtanam. Codex chartaceus mauuſcriptus in quarto minuto excellentes tradit regulas ad dialectum Indoſtanam perdiſcendam, & cap. 9. multa praeclare docet de tempore Indico, ſeu de modo & ratione qua anni, menſes, dies, horae, inter Indos boreales diſtinguuntur. Opuſculum eſſe videtur cuiusdam R. P. Capuccini Indiae borealis Miſſionarii, quod tamen non exiguo vitio laborat ex eo, quod vocabula Indica elementis non Indicis, ſed Europaeis ac latinis ſcribat, ex quo incertae pronuntiationis & corruptionis Indicae dialecti vitia neceſſario naſcuntur (1).

Hi

(1) Praeter hos libros in bibliotheca S. Congregationis exſtantes ego poſſideo: *Primo*, Vocabularium Brahmanicum Amaraſinha. Exemplar unum minutiſſimis characteribus a Brahmane quodam in foliis palmarum exaratum & pervetuſtum accepi in Codamangalam in Malabaria. Secundum exemplar chartaceum ego ipſe deſcripſi ex codice chartaceo D. Franciſci Texeira indigenae Malabarenſis Samſcrdamicae linguae periti viri, qui poſtea ſub D. Picot fuit interpres ſocietatis Gallicae in oppido Mahé. Tertium exemplar ab initio verſibus ſcriptum emi a Barida Sacerdote indigena Malabarenſi ex oppido Maptánata, qui cum diſcipulus eſſet R. P. Ioannis Hanxleden poſt obitum eius aliquos codices, a R. P. Hanxleden ex corticeis Brahmanum academiae Triciuricenſis propria manu deſcriptos diſtraxit. Codex eſt chartaceus a P. Hanxleden propria manu deſcriptus. Haec tria exemplaria a me invicem collata inter ſe conveniunt. Vide grammaticam Samſcrdamicam pag. 62. & Syſtema Brahmanicum p. XII. Al-

pha

XXXVI. *Kammuva*. Codex corticeus Peguanus oblongus ex foliis palmarum maſſa nigra oblitis conſtans, & characteribus Pali quadratis aureis exaratus. Tractatus eſt de inſtitutione & ordinatione Talapoinorum ſecundi ordinis *Pinzen* dictorum ſecundum uſum & conſuetudinem regnorum Ava, & Pegu.

phabetum Grandonico-Malabaricum ſive Samſcrudonicum Romae 1772. pag. 7. *Secundo*, exſtat apud me liber *Bhagavadam* verſibus Samſcrdamicis ſcriptus in foliis palmarum, qui codex Brahmanicus omnia genuini codicis indicia a nobis ſupra allata praefeſert. A profuga familia Brahmanica in bello regis Samorini anno 1722. in pignus acceptae pecuniae apud chriſtianum S.Thomae in oppido Angamali depoſitus fuit, quae familia extorris cum ad annum uſque 1779. pignus non liberaſſet, ego codicem emi. Vide grammat. Samſc. pag. 70. & pag. 171. *Tertio*, poſſideo duo exemplaria chartacea *Grammaticae Samſcrdamicae* Sidharúbam. *Quarto*, librum *Vyagarna* manuſcriptum a P.Hanxleden. *Quinto*, libri *Ramáyena* potiorem partem. Codex eſt corticeus, ſcriptus lingua Samſcrdamico-Malabarica. *Sexto*, librum *Yudhiſhtira* ſcriptum verſibus Samſcrdramicis a capite ſeu repartitione quarta uſque ad octavam incluſive. Codex cartaceus ex corticeis a R. P. Hanxleden deſcriptus. *Septimo*, codicem corticeum varia *parvam* ſeu poemata de diis Indicis continentem, quem dono accepi a Nayre *Uniri* viro gentili nato in Utrádam, quem ad fidem catholicam adductum baptizavi 21. Martii anno 1779. *Octavo*, codicem corticeum bella Pandavarum ſeu Pandu filiorum ac dei Krſhnae geſta continentem verſibus Malabarico Samſcrdamicis. Codicem accepi a iuvene Paulo chatecumeno ex oppido Kuriſhingnel. *Nono*, codicem corticeum verſibus ſlogam ſeu Samſcrdamicis medica praecepta Brahmanica, ac virtutes herbarum ſimplicium tradentem. *Decimo*, codicem corticeum parvum medica praecepta & ſuperſtioſas preces continentem. *Undecimo*, codicem chartaceum P. Emanuelis Alvarez indigenae Malabarici ex Brahmanicis medicam artem ſermone Luſitano & Malabarico docentem. *Duodecimo*, dictionarium Malabarico-Samſcrdamico Luſitanum P. Hanxleden, D. Pimentel, & P. Biſcoping. Codices chartacei in fol. *Decimotertio* Grammaticam Anglo-Luſitanam quae in praeceptis tradendis utitur lingua Malabarica. Fuit a me compoſita & dedicata regi Travancoridis Ráma Varmer anno 1784. *Decimoquarto*, carmen de 6. praecipuis divinis attributis contra Gentiles, & vita S. Thereſiae verſibus Malabaricis a me conſcripta. *Decimoquinto*, *Mahábbárada* ſeu *Sambbavam* octodecim gentilium puránas ſeu hiſtorias fabuloſas de diis verſibus Samſcrdamico-Malabaricis continentem, & in Malabaria ubique cognitum ac in magno precio habitum. Codex eſt chartaceus in quarto ex codicibus corticeis gentilium a quatuor ſacerdotibus indigenis in oppido Mangate ſeu Alangatta deſcriptus. *Decimoſexto*, Divya Bodhagnánam labhippanulla ſarani, id eſt: *via ad aquirendam divinam Sapientiam*. Codex chartaceus manuſcriptus vulgari lingua Malabarica continet exercitia ſpiritualia ſeu meditationes pro octo diebus. Compoſitus fuit a me ad uſum cleri Malabarici. *Decimoſeptimo*, Nála parvam, ſeu de quatuor noviſſimis, verſibus Malabaricis auctore P. Hanxleden. Codex corticeus deſcriptus a Ioſepho mapulla, ex oppido Cenòtta. *Decimo octavo* Pána ſeu vita I. C. verſibus Malabaricis in 12. capitulis, auctore eodem P.Hanxleden.

gu . Libri initium iuſſu ampliſſimi Card. Borgiae tunc S. Congregationi a ſecretis ex lingua *Pali* in idioma Italicum verſum fuit per R. P. Carpanum Barnabitam regnorum Ava & Pegu Miſſionarium anno 1776. Ex hoc genuino Peguano codice nos iam plura attulimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 114. 115. 116., quas vide. Ex ibi dictis, ac cum iis, quae de Indicis *Samanaeis* hodie *yogui* vel Goſvámi nuncupatis *pag.* 51. *& ſeq.* eiuſdem ſyſtematis dicuntur , collatis , palam & aperte perſpicies Talapoinos Avenſes & Peguanos antiquiſſimae Samanaeorum ſcholae ſectam eſſe, habitu, regulis, doctrina convenire. Sed hoc ipſum inſtitutum dialectorum varietate , temporis vetuſtate, confuſis traditionibus, linguae primigeniae Samſcrdamicae ſtudio neglecto , ac denique gentilitiorum morum cuique regno peculiarium cultu, antiquitatis ſuae veſtigia perdidit . Ingens diſſerendi materies ſe hic offert, ſed miſſis aliis omnibus ex vocabulario Brahmanico *Amaraſinha* ſola dei *Godamae* , quem hi Talapoini colunt, cognomina ſeu indigitameuta afferamus .

ശാക്യമുനി *Shakyamuni* , Shakyamonachus , id eſt , monachus praeſtigiator, augur, bonam malamve ſortem annuntians vel praedicens, fatidicus, periculum faciens , Gallice *aventurier* , item fortunam dans aut quaerens , fur , magus . Aſtra , ſeu genios aſtra regentes , ut monachos repreſentari apud Indos, ſaepe diximus .

സൎവ്വാൎത്ഥസിദ്ധി *Sarvárthaſidhi* , omnium theſaurorum cuſtos, pecuniae collector & conſervator . Orpheus de lapidibus ;

Mercurii ingredier ſpeluncam , plurima ubi ille
Depoſuit bona , ſtat quorum praegrandis acervus .

Quare Mercurius etiam nundinis praeſes, praecipue a mercatoribus cultus fuit .

ശുദ്ധോദനി *Shudhodhani* , purus , quod ſe ſaepe in Gange luſtraſſet , in quo dum matutinis precibus dat operam , Indra deus ſeu Iupiter eius uxorem *Ahalyam* ſub forma *galli* compreſſit . Quare huic Mercurio *gallus* appingitur .

ഗൌദമഃ *Gaudama* , vaccas paſcens , vaccarum curam gerens, paſtorum praeſes . ഗോ *go* Samſcrdamice *vacca* , unde fit *Godama* vel *Gaudama* vaccarum paſtor . Homerus :

Editur hic mane , hic citharam pulſavit & idem ,
Surripuit Phoebo vaccas mox ſole cadente .

Hic idem Veneri cingulum & Iovi ſceptrum ſuffuratus eſt .

അൎക്കബെന്ധുഃ *Arkabendhu* , ſolis amicus , ſolis affinis , ſoli coniunctus . അൎക്ക *arka* ſol , *bendhu* amicus , affinis , conſanguineus . Itaque Graecum nomeu *Argos* , deus nempe ille , qui tot oculos habere fingitur , non caelum ſed *ſolem* ſignificat .

മായാദെവിസുതഃ *Majadévlſuda* , Maiae deae filius . Haec Mercurii indigitamenta lector cum iis , quae in hoc libro *Kammuva* , in dialogo P. Mantegazza ſupra citato , ac in relatione D. De la Loubere de *Godoma* , *Xaca* , *Chekia* , *Xacamuni* , Peguano & Siamenſi numine referuntur , conferantur , atque planiſſime & apertiſſime patebit , linguam Samſcrdamicam , ac Mercurii cultum ex India in regna Ava , Pegu , & Siam translatum fuiſſe , ac ibi in obſcura variarum fabularum caligine delitescere . Brahmanes duos tantum Mercurios admittunt , hunc quem heic deſcripſimus , & alium de quo egimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 154. *& ſeq.* confer Natalis Comitis mythologias , Coloniae 1910. *pag.* 432. *& ſeq.* Hunc Shakya ſeu Mercurium auctor Alphabeti Tibetani Manetem fuiſſe docet . Doctrinae monſtrum quo non teterius ullum .

Hi itaque ſunt codices Indici bibliothecae S. Congregationis , qui zelo , vigilantia , munificentia ampliſſimorum Cardinalium Caſtelli , Antonelli , Borgiae in eam fuerunt illati . Exſtant praeterea varii codices Indici in Muſeo Borgiano Velitris , de quibus in lucrubationibus noſtris ſaepenumero locuti ſumus . Qui reliquos gentilium libros , quibus dogmata eorum innituntur , ex nomine cognoſcere & perſcrutari cupit , videat catalogum eorum in libro *Aſiatick reſearches* tom. I. §. 18.

pag.

pag. 340., cod. mſſ. R. P. Marci a Tumba, *In fol.* in Muſeo Borgiano exſtantem. *pag.* 193. (1)

(1) Celebriores in India libri ſunt: Primo, *Brahmapurána*, hiſtoria de geſtis dei Brahma, de creatione elementorum, animarum, de origine ipſius dei Brahma ex Bhaváni dea ſeu ex natura. Secundo, *Vishnupurána*, de deo Vishnu conſervatore mundi, rerumque creatarum. Tertio *Shivapurána*, ſeu *Mahádéva purána*, de deo Shiva eiusque geſtis, de deſtructione rerum per eum. Quarto, *Vishnupurána* dividuntur in decem alias puránas, quarum prima *Cúrmapurána*, de incarnatione huius dei in teſtudinem. Secunda, *Maſſyapurána* de incarnatione eius in piſcem. Tertia, *Varábapurana*, de incarnatione eius in aprum. Quarta, *Naraſinhapurana*, de incarnatione eius in leonem & hominem ſimul. Quinta, *Vamanapurána* de incarnatione eius in nanum. Sexta, *Parashrirâmapurâna*, de incarnatione eíus in regem. Septima, *Rámapurána*, de incarnatione eius in deum Ráma eiuſque geſtis, de quibus agit liber *Rámáyena* dictus. Octava, *Bálaga purána*, *Bálapurána* vel etiam *Krshnapurána*, de eius incarnatione in deum *Krshna* puerum. Huc refertur liber *Bhagavadam* in tota India celeberrimus, qui praecipue de hoc Krshna agit. Nona, *Budhapurána*, de incarnatione dei Vishnu in Budha. Decima, *Calanghipurána* de incarnatione eius in regem equi conductorem ad puniendum & evertendum mundum. Adde his *Lingapurána* de inſtitutione cultus lingamici, de ſacrificiis ei debitis. *Marcanda déva purána* de regibus antiquis belliſque eorum. *Anandapurána* hiſtoriae morales, dialogi etc. *Mahábhára.la* ſeu magna hiſtoria fabuloſa, poema Epicum eſt, cuius una pars liber *Yudhishtira*. Omnes hi libri in ſuo exordio fuere ſermone & verſibus Samſcrdamicis conſcripti. Vulgares ſunt *Adiparva* de principiis rerum & deo Vishnu, *Bhishmaparva*, de Bhima gigante, *Devayánikatha* hiſtoria de feminis Devayáni & Sharmishta, quae continetur in libro *Sambhava* ſeu universali opere *Mahábhárada* inſcripto. *Shagundalakatha*, hiſtoria de heroina Shagundala etc. Adiice libros ſcientiarum, aſtronomicos, aſtrologicos, medicos, botanicos, libros peculiares ſectarum & opinionum, aliquos de hiſtoria naturali, ut de proprietatibus & educatione ſerpentum, vulgaribus linguis ſcriptos, quos ego vidi. De variis his libris ad ſectas philoſophicas, ed meditationem rerum caeleſtium, & humanarum pertinentibus, atque ad grammaticam, aſtronomiam, moreſque ſpectantibus conſule laudatos Anglos *loco citato*, Grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 62. *uſque* 78. Stephanum Fourmont *in Catalogo codicum & manuſcriptorum bibliothecae regiae Pariſinae* fol. 434. anno 1739. *ex typographia regia.* Anquetil du Perron, *Recherches hiſtoriques ſur l'Inde* 2. part. pag. 553. & ſeq. *Appendix ſur le Bhagvat ghita*, ubi tamen pleraque intricat, *cod. mſſ.* P. Marci a Tumba *in fol.* in Muſeo Borgiano exſtantem, pag. 193. & ſeq. *Dei libri più communi dell' Indoſtano*.

ഏക സൎവ്വെശ്വരായ നമഃ

Ega Sarvéshvaráya namá.
Uni ſoli Deo adoratio.

Digitized by Google

Digitized by Google

